

2010

10
21

R. P.
ANDREÆ PINTO
RAMIREZ
VLYSIPONENSIS,
Societ. Iesv,
PHILALLELIA.

Pro Fide Amicorum reciprocâ,
Exemplar mirum.



L V G D V N I,
Supt. Hæred. Petri Prost, Philipp. Borde,
& Laurentij Arnaud.

Aplicar a la libbre
ria de S.º Pedro Alcaz
para Córdoba y Mayo
2 de 1862

Ojo Precio del tomo
60⁸
Guardia

~~Precio de 60⁸
Guardia
y 1.000 pesos~~
~~J. Diego de Alarcón~~



LECTORI.



Mici , Amelií-
que gesta (de qui-
bus Vincentius
Beluacensis lib.2 3.
cap.162. & Diuus Antoninus
part. 2. titul. 14. cap. 3. alií-
que fusè) nonnulli iura-
tæ veritatis Historiam reue-
rentur : Quidam puram , &
putam fabulam suspicantur.
Sto mediis , qui mythisto-
riam volunt , reique factæ,
ficta nonnulla obrepssisse. Er-
go leuando nescio cui tædio,
calatum huc admoui, inuti-

lius fortè locandi otij (neque enim tunc seria dictabat animus) ansam præcidens. Multa, quæ vulgo immiscentur, suspecta, putaui detruncanda: addens meo iure paucula, quæ vt fidem Historiæ non commaculant, sic legentium palato, modestius ad blanditurā videri possint. Adhæsi, vt plurimum, Antonino, nisi quod duelli narratiunculam sic temperaui, vt piis auribus mitior assonaret. Nihil deinceps in Historia non facile, præterquam præceptum illud Diuimum, de filiis à Parente iugulandis; quod tamen ex tot Patrum sententia (quos videris apud

Serarium in cap. i i. Iudicium)
Iephte pie parricida vincat à
calumnia.

Inserui datâ ansâ Philalle-
liæ, id est mutuæ gratissimi
paris amicitiæ, Nicoparthe-
niam , quam obiter victri-
ties Martyris Irenis , pudi-
citiæ , dicatam volui : rapuit
affectionem à Patria communi,
à dotibus singularibus. Li-
matiorem stylum Lusitani
scriptores impenderunt iam
Virgini , sed vernaculum : do
impolitum, exteris tamē pro-
futurū, quibus dulcissimæ Hi-
storiæ tantū periochâ hucu-
que circumlata. Coronata
Virgo salutis nostræ anno
sexcentesimo quinquagesimo

tertio; Octobriisque die vi-
gesimo celebratur, de qua ibi
Baronius, Mariana item lib. 6.
cap. 9. Ribadeneyra in Ex-
trauag. aliique plures ab his
citati. Longum Episodium
mordebunt, scio, Critici,
quid tunc? malui pietatis,
quam Historiæ legibus de-
seruire. Comptum sic cura-
ui, huiusce scribendi generi
necessarium; ut tamen in
Irenis narratione, nec mi-
nimo, eius fidem putarem
violandam; nefas enim syn-
cerissimis Sanctorum gestis,
aliquid inferere alienum:
aliud est, quod ex datis cir-
cumstantiis prudenti iudi-
cio cernitur pullulare, vel

appa

apparandis , euentibus , vel
colloquiis dilatandis : id
enim in Breuiariis nudè in-
sinuatum , vt fucos flori-
dioris calami spernit , sic
è contra desiderat orna-
tum .

Videar , sed Hæreticis ,
minus religiosæ dictionis
scriptor , quia Incarnatio-
nem , Eucharistiam , Sacra-
mentum , & similia quæ-
dam , ex Fidei penu inter-
fero vocabula , quæ Tullius
non agnouit : sed sibi habeant
nullius religionis homines ,
religionem illam dicendi se-
ueriorem : per me tota la-
tinitas pereat cum suo Tul-
lio , si dulcissima verba inter-

ā 4 dicenda

dicenda. Si quid scribens
peccavi , imprudentiae dan-
dum, non proteruiæ, delen-
dumque , non Ecclesiæ tan-
tum subiicio , sed cuiuis
docto.

Reuerend.

¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶

Reuerendiss. & Eruditiss. viro

P. ANDREÆ PINTO
RAMIREZ,

Soc. I E S V ,

Suus Petrus Roderici de Salamanca, Metropolitanæ Ecclesiæ Burgensis Decanus,
Salutem.

 *HILALLELIAM tuam
perlegi , do difficulti-
bus , & scrupulosis
esse puram fabulam,
sub tuo stylo historiam inficietur
nemo : Accepit fabula prisca
fidem. Ea est quandoque diserti
penicilli vis , iis afflatur veluti lu-
minibus artificiosa pictura , ut vel
ipsa Natura credatur habere , quod
imitetur ab arte ; plerique histo-
riæ s . rias*

rias fictionibus adulterarant, tu
Sacram fabulam ea maiestate, ac
dulcedine condis, ut teneat aures,
& animos plusquam vero simili
narratione. Olim Horatius. Spe-
ciosa locis morataque fabula,
validius oblectat populum:
quam versus inopes rerum.
Longè alio sensu tuam fabulam mo-
ratam dixerim, que non tam ex-
primat vniuersciusque mores, quam
malos comprimat, & emendet;
ceteri nugis canoris pretiosissimas
horas, aurium lenocinio profude-
runt, tu sanè nasquam minus otio-
sus, quam cum in otio studes, ani-
morum aucupio, spiculis aureis, &
sacer Orpheus efferos hominum mo-
res demulces, ac renucas, quae ad
auia abduxerat virtutis tristitia:
Et vita monstrata via est.

Fateor ingenuè, libellum tuum
perlegendum suscepi quasi non se-
riam rem acturam, (omitto ferè na-
tiuam,

tinam, non adscitam Latini ser-
monis gratiam,) adeò tamen, ab-
duxit me, ac rapuit cobarentia, ac
artificium narrationis; ita me pri-
ma ad media, progressio ad ultima
vocabant, ut noctem insomnem,
imo vigilem ducerem, donec cum
aurora benignius arriдерет sacri
Poematis exitus: quid mirum?
Scribendi rectè, sapere, est prin-
cipium & fons, Nempe is es, qui
valens ingenium in Theologia, ac
sacræ pagina studiis elaboratum,
variâ, ac mirâ eruditione excul-
tum, eloquentiâ, Hebraicâ, Græcâ,
Latinâ, Hispanâ, Italâ, Gallicâ,
veluti suauissimo condimento re-
spergis; sunt qui cum Seneca existi-
ment, quando animi negotium agi-
tur, non impensis curandam ver-
borum structuram, quemadmodum
non querit agrotus medicum elo-
quentem, sed profectò quid impe-
diat solidâ Sapientiâ profecturis,

(veluti

(veluti pueris nauseantibus,) salutaria documenta, aureâ, & mellitâ verborum illecebrâ delinire? Præcipuè cum, (ut eleganter Philosophus,) idem sit ingenio tuo, quam animo color; atque id narratio-
culâ tuâ præstiteris, ut Christianam pietatem cum Latino lepore,
posse coniungi in comperto sit, nec
non cum instituti tui sanctissimi
modestia, sermonem mollem, ac
infractum pugnare, non perspi-
cum, tersum, ac fluidum; versus
nitidi, pleni, castigati, variant opus
veluti flores lectissimi.

Irenis Virginis historia videri
possit, aliquid de argumenti sim-
plicitate detrahere; sed preter-
quam exemplaria occurrunt ple-
raque apud priscos, (quos non pi-
guit toto operi alias historias inte-
xere,) sanè deliciosus egressus, tam
aptè cohæret, tam opportunè bi-
partitus fastidium fortè prolixæ

narrat

narrationis leuat, ut potius hac
venustissima pars, nec aliena à
materiâ, totam commendet; &
facile alicui videatur pium cala-
num celerius, rarum, virginei can-
doris, exemplar pertransisse; nec
sanè efficacius mærori Belisande,
ex verâ accusatione mederi potuit,
quam sanctissime Virginis recor-
datione impudicitia falso insimu-
late.

Ignoscam pusionum effuso san-
guini, quorum, (ni rediuius diuino
miraculo, & hilari exitu appa-
ruissent,) satis cædi litatum; ac
parentatum iri, crediderim, la-
chrymis legentium, quas, heroici
filicide, vehemens, ac tenera ex-
pressio exprimit, vel inuitas.
Amicorum leges cordibus insinuas
fælici victimâ, & Amelij, & Amici
scena, compendiosam viam struis
præceptis amicitiae. Utinam mibi
pandatur consortio tuo, quod ex

animo ambio, nam de eo, qui so-
cietatis iuræ, non magis probe te-
net, quam eloquitur, quis non ita
sentiat, ut se eius amicum, ac di-
scipulum esse in maximo lucro, &
compendio reponat, id ut mihi con-
tingat Deum Opt. Max. precor,
tique ut diu bonis omnibus, & lit-
teraria palestræ seruet incolumem.
Burgis duodecimo Calendas Decem-
bris, anno reparationis humanae
millesimo, sexagesimo quadragesimo
secundo.

APPRO

APPROBATIONES.

PHILALLEGIA R.P. Andreæ Pinto Iesuitæ à nobis Theologiæ facultatis Parisiensis Doctoribus lecta est, in qua nihil à fide & bonis moribus alienum reperimus.
Datum Lugduni die 26. Ianuarij, anno 1647.

FR. STEPH. MOLIN
Carmelita.

FR. MICARD
Minor.

CONSEN'

C O N S E N S V S.

HVnc librum, qui inscribi-
tur *Philallelia* typis man-
dari & in lucem edi hac in vr-
be Sumptibus Hæredum PROST,
PHILIP. BORDE, & LAVENTII
ARNAVD , Bibliopolarum
Lugdunensium , Ego Regis in
Præfectura Lugdunensi Procu-
rator non impedio , eodem qui
supra die.

LORIN

P E R M I S S I O.

VIlo Procuratoris Regis con-
sensu hunc librum typis
mandari supradictis Lugdunen-
sibus Bibliopolis concedimus,
& ne quis vltra dictam faculta-
tem denuò excudat prohibe-
mus,Lugduni,anno,& die suprà
notatis.

ANDREÆ PINTO
RAMIREZ

R. P.

ANDREÆ PINTO

RAMIREZ

Vlyspionensis Soc.

I E S V.

PHILALLELIA,

*Pro fide Amicorum reciprocâ;
Exemplar mirum.*

LIBER PRIMVS.



VRARVM morsu dia-
tino , insupérque nouis,
ab vxore , litteris , redi-
tum, in domum , vrgen-
tibus, solicitus, Sueuiam
cogitabat Amicus , qui erat apud Ca-
rolum , inter Galliæ Proceres , non
postremus : cum per speciem animi,

A

Amelium

Amelium suum, id est ipsum, tanti doloris, æstum, curru regio, ab Urbe rusticatum, secum abduxit. Vbi ad situm deuenere fontis perspicui, & densarum arborum amœnitate, nobilem, relicto longè, ad currum, satellitio, herbidis torris considunt tumultuariè. Amicus interim, Amelij, quem iam ab egressu Palatij noua subtristioris sodalis facies, non leuiter commouerat, dextrâ tenacius apprehensâ, oculis pio fletu, penè tumentibus, & præmisso suspirio attonitum sibi captans silentium: Ecquis, inquit, grauis iste, de te rumor, Ameli iucundissime? Quæ vulgo fabula? crederet id aliquis futurum (coniuratis licet fatis, dolori tanto) vt te tui, mei, Regis, & quod maius est, numinis, ea subiret obliuio, vnde dedecus hoc incurras, laxatis frænis? quò tam aliis, ab Auernici sanguinis pergis splendore, iis, melioris spei truncatis floribus (heu semihulcis adhuc) vnde fructus conceperam vberrimos, tibi, tuis, Patriæque futuros in coronam? Quid me iam diu tepidus euitas, nec quo solebas; quo debebas candore, adis frequentior, quibus formarum similitudo mira, nihil diuersum

diuersum pro moribus , admittit non
sacrilegè ? Quid animam illam meam,
qua viuis , affectato piaculo commacu-
las, cum tam aliter , tua hæc, qua spiro,
degat in isto pectore ! Si quam retines,
quasi alienam spernis , neque admissâ
culpâ doles emortuam , de tua scilicet
tutus , quam in me , diuino beneficio,
vegetam præsumis , at saltem id natali-
bus tuis indecorum credideris , si mu-
tuo amicitiæ sacrario violato, tunc de-
uotam inferno victimam mihi iugules,
dum ego tuæ isti , altaria dicare , sedu-
lus allaboro. Sed esto de sortis meæ du-
ritie , his obsurdescas ; in sanctissimum
tamen Regem paratam ignominiam
quid non exhorreas ? Euehit ille inge-
nitæ magnificentiæ titulos piissimus ,
dum te sublimioribus euehit fastigiis ;
hanc tu interim , illi deturbando , ma-
chinam adornaueris ? Quid tamen non
conniveas , humanæ Maiestatis , iuri
læso , qui diuinæ strictius longè teme-
rè conculcas ? Sanguinem Redemptoris ,
nequidquam profusum rides , quasi , ab
adamantino corde , rigescat vultus ; ne
ab illius conspectu ruborem contrahat .
Obdurare Ameli , obdurare , numquam

communicatæ impietatis fidem facturus, suspicionem tamen faciam, necesse est; soluam simillimi corporis supplicio, quidquid, dissimilioris spiritus promeruerit noxa, & Belisandæ Regis filiæ, obducta si forte macula, flos eruptus, te indemnem reum, me insontem damnatum, exhibuerit; mori mihi dulce, dummodo tibi resipiscentiæ tempus non subtrahatur, quâ vñâ, absentis animæ, è te adhuc charissimo, dolorem temperauerim.

Statim ab exordio quò tenderet Amici querela, calluerat Amelius, vnde præmeditato interim responso confidentior, fronte exorrecta (licet insuetus taciti cordis indicia dissimulare) acriorique amplexu in Amici collum irruens; At, inquit, in ipsa penitioris amicitiæ professione, amicitiæ violator deprehenderis; potuit mihi secreti pectoris abdita obserare, qui hoc meum, non sibi vndique apertum, credere sustinuit; verumtamen ego penetralium istorum claves, vt numquam aliis adulterandas, sic semper inuicem existimaram communes. Bracteauit in eamdem rem pluscula; & quantumuis paulo ante

te tyro , breui tamen sub amoris magis-
terio , fucorum donatis iam rude , ea
concinnauit ; quibus Amicus aliundè
nasutus satis , Amelio suo conflatam
calumniantis Aulæ , inuidiam , putaret
candidus ; à malè conceptâ suspicione,
de amicitiæ impatientiâ , se expurgans:
legendas exhibuit litteras , quas ab uxo-
re recens acceperat : addidit à Carolo
Rege , inuito licet , ad sua redeundi ve-
niâ obtentâ , & insuper regiâ gazâ (huic
ille præfектus erat) sacrarumque opum
digestis , traditis successori ; nihil vltra
fore , quominus viam aggredetur po-
stridie ; duo igitur ab illo pro amicitiæ
iure non tam rogare , quam exigere ; al-
terum ut calumniæ tantæ ansam etiam
minimam præcideret , cuiusvis , nedum
Regiæ Virginis , famam esse ivitream ,
quam leuiori rumusculo fractā semel ,
nulla deinde restitueret industria ; spar-
fos Aulæ susurros ni omnino tolleren-
tur , tandem Carolo deferendos ; hos ,
etiam inanes visos , dolor ingens obse-
cutus , quo quis alio prætextu ab ipsius
Amelij exilio quæreret medicinam ; at
certè illo prætextu , turpis exilij notam ,
minimè aboleri , quin apud exterios , vir-

Princeps , è domo Cæsar is, audiret eie-
 & tis. Alterum, vt Arderici (nuper iste,
 Regio ortus sanguine , & bellicâ virtu-
 te instructissimus , prætorianis specula-
 toribus Præfectus , in magnæ vitæ cu-
 stodiam excubabat) familiaritatem eui-
 taret cautus ; dolere se , quod fallacis
 hominis commercio vteretur crebrius:
 cum is esset Ardericus , cuius dolos, nisi
 iam capti , non prænoscerent innume-
 ri , qui tandem se miserè delusos deplo-
 rarunt frustra : deforme monstrum sub
 homine delitere , qui leoninum haud
 dubiè robur , vulpinâ temeraret versu-
 tiâ : si non in vitium Caroli (ab indole
 forte , in prauum , minimè suspiciosâ
 excusandi) certè in Aulæ detrimentum,
 & opprobrium generis admissus. Ergo,
 concludit tandem , dum te Aula deti-
 nuerit , sic habeto : quam tamen , quâ
 potueris ocyor euitaueris : infido Pala-
 tij pelago , & multorum iam naufragiis
 famoso, frustra credideris. An non vi-
 disti puerum testam de littore legere ia-
 statione fluctuum læuigatam , quam
 deinde in ipsius maris superficiem rotat
 acclinatus ? hæc dum planius vndarum
 dorsum radit , leui impetu lapsa , emi-

cat

cat crebriūs , & summis emergens flu-
ctibus , saltu subleuatur assiduo ; donec
priori impulsu destituta mergatur . Sic
nobiscum fortuna ludit , qui quamvis
emicemus diutiūs , mergimur tandem ,
fauore euanescente , quo ab his vndis
resilire visi .

Facile vtrumque pollicebatur Ame-
lius , qui neutri acquiescere , temerè
proposuerat , tunc consenso currū
vrbem repetunt , vnde interiecto biduo ,
Amicus non absque ingenti Cæsaris
desiderio , & splendido Aulicorum co-
mitatu extra pomœrium usque dedu-
centium , remeat in Sueuiam , expedita
paucorum manu stipatus solummodo :
familiam quippe cum sarcinis , oneri
non futuram , pridie dimittendam cu-
rauerat . Gratissimum sibi ereptum er-
rorem , ab amicorum eximia similitu-
dine prouenientem , Regia condoluit ,
quæ alterum in altero frequens saluta-
rat , delusa suauissimè . Has Amici , &
Amelij formas , ad miraculum usque
similes , concinnato penè centone , è
Poëtis priscis , sic nescio , quis celebra-
rat haudamus .

En sociis paribus nihil impar , compro-

A 4

bac

bat ambos,

Oris bonos unus, similis nodatur, in
aurum,

Crinis: par, bilares, augescit risus, in
erbes.

Alba ligustra rosis, vultu miscentur
utrique:

Aigue manus, eandore pari, data fœ-
dera iurant.

Incessus similis, simili chlamys emicat
ostro,

Succincti similes gladij, pariterq; sonoris,
Indiscressa modis, vox utraque fertur
ad aures.

Equis membra tenor; concordes pe-
ctora motū

Conciliant: spirantque ipsum gena, lu-
mina, mores.

Delusor numeri unum; sed delusor
amoris,

Dixeris esse duos. Dulcis iunat ipse vi-
denter

Error, & ambigua, placet ignorantia,
turba.

Sola pares, variis presumunt nomina,
formas

Distinxisse notis; sed victor, vindice
vulnus,

*Suspendit dubios error : quin nomina
turbant,*

*Si alter in alterius respondet nomine,
dictus.*

Carmina diu vndique constantia iam tunc, (nefas,) ex parte dissidentium morum claudicabant.

Frequentes in Aula de Amici discessu sermones, allata Regi cœna non interrupit ; tunc enim Optimates, apud Carolum, hominis dotes extollebant, anxiè commendabant ; seu quod absenti , quem mortuum reputant Aulici, parceret iam inuidia , seu , quod crederent præsentem Amelium , (aderat quippè , vt potè Cæsareæ mensæ Præfectus ,) & Cæsari id temporis gratissimum coniunctissimi viri laudibus palpatum iri. Certè is erat Amicus, cuius comis facilitas , excellens virtus, nullo alio respectu , sed se ipsi , Aulæ exufflaret venena , maliuolorum verba compesceret. Non leuem iacturam fecimus inquit Carolus , indulsimus tamen Obiæ , (erat hæc Amici vxor,) detentum diu coniugem suspiranti ; imo non indulsimus ; sed quod fatendum ingenuè , timuimus nobilioris Matro-

næ querelas haud iniustas, ne supremum diuini Numinis appellarent tribunal. Tunc, vt erat æquè pius, atque facundus, non pauca differuit de quorundam obuelatâ Principum tyrannide, qui publicam vtilitatem separandis coniugibus prætendunt, non absque vtriusque graui periculo: quiique ciibus suis, seruorum instar vñi, priuatas eorum domos debitâ curâ spoliant. Non semper fieri posse, vt vxores, relictâ hæreditariâ Prouinciâ, maritos in Regiam comitentur; nec ideo viduitati præcoci damnandas necessario. Cur tamen non suis cedant, vt Principis rebus consulant? abducant secum uxores, abducant familias, vicos, agros hæreditarios, famulis, curandos reliquerint, & clientibus; at hecclè, Princeps id imperiosè exigens, violabitur; nam minister non raro à vorticibus Regiæ, modestiori familiæ, pulchritu-
rique, si fortè, vxori timeat, & de absentia iure, hæreditati imminutæ condoleat, necesse est; interim verò zelotipæ custodiæ priuati gynæcei, publicis postpositis curis, totus inuigilans; è thesauro aliunde Regali, conflata sibi
damna

damna resarcuerit. Tunc è purpuratis quidam falsus vbiique homo, & piperatus quandoque. Sed hodie, ait, plures ad numerem , quos potius è palatio ad sua , quam coegeris domine , è suis ad Palatum ; vel vltro confluunt , vel tardis , etiam calcaria , adhibent vxores , sordere sibi visæ , nisi sub hac luce. Ad hæc Carolus seuerior , mauellem , inquit , dicacitati parceres , quam nisi sub mordacitate putas insipidam : deinde ex porrectori fronte , prudenter monitum graue temperans , in augustum cubiculum secedit ; breui , sed præuia diuinarum rerum meditatione , & seuero conscientiæ examine (non priuatis tantum, sed & publicis defectibus pungendæ) in ore solito , somnum tutaturus.

Interea, qui nos , seu potius morbus est Aulicorum, viuentium contra natu- ram , ad altam vsque noctem confabu- lantium, & subinde ad mane altius ster- tentium; seorsim, propt quisque sibi fa- miliaribus confueuerant , vaga nuntia, orbis rumusculos immiscere ; famulis interim insomnibus magis, quam vigili- bus miseram conditionem, tacito mur-

mure, & oscitanti susurro, deprecantibus. Adiunxerat se Amelio, captatâ occasione, vñus Ardericus, vt qui de officio degebat palatinus; nocte vero iam concubiâ Amelium inuitauit ad cœnam, quam Regio penè luxu iusserrat apparari; nihil de Amici rebus (cuius tamen fidem suspectam amicissimo reddere, machinabatur anxiè) edisserens. Peracto ad Gallicinium conuiuio, discedentem nobili, prætoriæ cohortis, manututum deduxit. His, similibusque obsequiis animum, adolescentis adhuc Amelij, expugnat Ardericus; iam nimis cautam, & iusto seueriorem habentis, præmissam ab Amico monitionem, & ferè tamquam calumniam in virum commem, & candidum, interpretantis. Accessit, quod Amici successor, Regiæ gazæ ratione, non semel interturbatas obganniret, vel quod difficiliora quædam, sub tantâ mole insurgerent, vel quo se in euoluendis negotiis, commendaret strenuum.

Hinc lux prima Arderico orta, vt præmeditas iam diu tenebras obtrudere. Adit à longè aspicientem, quasi nondum visum Amelium, inter sistenti-

gradu,

gradū, vultu in curas composito, totóque habitu prænotans nouum aliquid, ad quem tunc non lentus præcurrens Amelius. Ecquid, inquit, Arderice? nescio, at certè aliquid subit, unde raperis. Ille quasi non quæsitum offenderet, eleuans oculos; doleo, ait, quod recens à rumore non bono, tibi occurserim; mallē pacatiori animo rem deferre: sed & adhuc turbato, deferam necesse est! Amicus idem tuus, & idem propterea meus minus bene curati Regij thesauri, imo & violati flagrat inuidiâ; dissimulatâque, sub nescio quibus suis urgentibus, fugâ, aulam deseruisse proditur. Premimur amicissimi viri onere, ni minitanti tantummodo nunc ruinæ, succurrerimus; licet numquam satis hanc notam vitauerit Amicus, quod vel innocens, ut præsumo, vel reus ut fingitur non tibi intimo; sed nescio cui extraneo, nutantia adhuc negotia, pendente, rei tantæ, litem commiserit curaturo. Si fidus, cur fidissimo sodali, apud Regem gratioſo, rerum suarum curam non deposuerit? Infidelis, si forti, à quo, aut tutius, aut facilius fluctuatur famæ speret tabulam? Sed parcendum

parcendum absenti; quem hic solummodo grauo, ut acrius excitemur ad remedium. Prauam Amici suspicionem, in id tantum admittere fas est, ne tutam hominis famam, vt par est, putantes, & inde insurgentibus calumniis obuiare ignauescentes, succumbere deploremus, iam robustis. Addidit Ardericus non pauca, quæ ex Amelij fide, in Amici defensionem finxerat cogitasse: illud præcipuum; muneric scilicet sui vicariatum tunc vacante, impensè à Ricardeto, Amici sui successore, cuidam è propinquioribus suis, ambiri; erat nimirum hoc munus, & honore, & stipendio non mediocre; absentiis enim non raro Arderici partes supplebat vicarius; & præsenti, cùm domesticis excubiis, tum forensibus pompis Carolo, accedebat proximior. Ergo apti, subdit, ministri electione, à Cæsare mihi commissâ, non paucis consanguineorum rei inhiantibus, prætermissis, iam hoc munus Ricardeti propinquo, id est Ricardeto roganti destinaui. Hinc erit, ut obæratus homo causam Amici suppressat in mei gratiam. Tunc dicto citius, aduocato Notario, titulum dictat, subscribit,

scribit, quam primum statâ horâ, Cæsareo anulo obsignandum. Facile Ricardetus, seu temerè, seu falsò, rumores sparsisset, causæ cessit. Oblatas sibi denuò schedulas contestatus, vnde Amici rationes exhibitæ comprobarentur integrimæ, prauo ministrorum exemplo, quibus inuicem munera, aut dolosæ fidei præmium, aut officiosi doli, præda veniunt.

Mirabatur Amelius, vnde Amicus sincerissimo Arderico, vt putabat, infensus degeret, prudentem iuxta, & pium illum ambigere in tam intimâ hominis notitiâ, nefas duxerat: è contra versutum, & fallacem, haud sustinebat credere Ardericum: quid vtrique intercederet ignorabat, nisi quod officiis beneuolum, Amico, istum: huic verò suspectum illum, verbis deprehenderat: hinc curiosa internoscendæ causæ audiitas. Sed certè nulla erat, nisi quod Ardericus, inuidus gratiæ Amelij, apud Cæsarem: Zelotypus suauioris aspectus, quo Belisanda, (cuius se haud dissonum maritum somniabat,) eundem quandoque intuita, iactabatur, miserum adolescentem funditus perdere,

dere, vnicè satagebat: desperatōque negotio, dummodo prudentissimi Amici monitis regeretur, id summo- perè ambibat, si quomodo utriusque laceraret amicitiam. Amicus autem, qui diutino Aulæ experimento, dolosum hominis ingenium fuerat aucupa- tus, id sedulo curauerat discedens, ne remoto custode, columbinam Amelij sui indolem, insidiantis accipitris vngues raperent. Ingerebat igitur Ame- lius sermones crebros prædicti dissidij aucupatores: quos Ardericus sic callidè deuiabat, vt semper aliquid intus præ- sumeretur decoquere, quod Amici mi- feratio, Amelij excandescientia, & sui ipsius benignitas, prohiberent expri- mere. Obliquabat insuper alia, eò fæuius lancingantia, quo dum planius proferri visa; occultum aliquid inuo- lutum prodere potius diceret, quām significare. His licet radicata medulli- tus Amici fides, ab Amelij animo re- tuelleretur minimè; at pulsabatur; quo faltem illud perfecit Ardericus, (quod sibi tunc satis magnum gratulabatur,) ut iam primam, ab Amico, sedem in corde Amelij, obtinuisse intelligeret:

vnde

vnde penitiori prædæ animosior, iterato officiorum ariete, blanditiarum machinis, sub meræ comitatis testudine defensus, arcem candidioris pectoris expugnat tandem. Nihil suorum iam Amelius claudebat Arderico, illa etiam occultiora credens, quæ Amico non auffus. Delusus adolescens, qui ignorauerit illius genetis hæc esse, quæ non nisi alteri sibi, aut antea ad consilium, aut ad remedium postea commissa tuto.

Infestabant id temporis Gallicas oras, qua parte Tyrreno adiacent tremes barbaræ. Hinc ab Africa, inde ab Hispania, tunc misere oppressa, enauigantes Mauri, generis, & commercij fœdere copulati, ingentibus copiis, nihil maris, & terræ, vi, cæde, rapina non fœdabant. Expedierat non ita pridem Carolus tumultuarias naues sub Hildelberti auspiciis; nam periculiosiori, Germanorum, distractus bello, cui exercitus robur destinabat; non tam nauale iustæ classis præsidium, quam pro tempore, appararat auxilium. At Hildelbertus, quem præter Regis imperium, & Christiani nominis decus, priuata insuper causa in pyraticam classem

classem stimulabat. (Massiliæ quippe præfectus, recenti hostium inuasione, destructam villam, spoliata præatoria, & quod acrius erat, filiam virginem, tunc fortè cum puellis suis, sub nutricis custodiâ, rusticantem, captiuam infaustissimè, deflebat adhuc,) adiungens Regiæ turbæ consanguineorum, & clientium manum, virtute magis, quam numero robustissimam, variis stratagematis, quæ amor recuperandæ natæ visus suggereret, insultat barbaris: nunc tardiores eorum triremes, aut è vestigio demergens, aut in vicinum portum captiuas trahens; nunc intempestâ nocte, confertæ classi, igne doloroso dirum, aduouens nauigium, quo paulo post incenso, vicina pariter quæuis conflagrabant. Quibus sic aduersariorum vires comminuit, ut iam prælio iusto confideret inuadendos. Nec mora: fulminis instar, vento suo, insperatus aggreditur; & dextro numine parem fælicitatem, quam sub callida tarditate fuerat. Sub celeri iam expertus fortitudine, hostes conterit, è quadraginta septem triremibus, vndeциm secum abductis, cæteris, aut exuistis,

aut.

aut demersis. Interpellauit Hildelberto fælicissimæ victoriæ voluptatem , nuntiata natæ mors , omni tamen vitâ longè gloriosior. Duxerat secum Hali pyrata Princeps Abdahlium nepotem, in spem domus , mollissimè educatum; hic paulo post prædam , pulcherrimæ, & pudicæ Virgini inlusurus , vim intentabat. Margarita, (hoc illi nomen,) quæ sub captiuo etiam corpore , Christianæ libertati sacrarat animum , cum aliter expediri non posset , arrepta criminali acu , colluctantis barbari , oculo dextro transfosso, adhuc alterum transuerberandum quærebat, generosè contumax. Ille doloris impatiens , intatam ritè victimam Deo iugulat , probans se in vindicta carnificem ; sed exhibens , ad mysterium , Sacerdotem. Tunc proiecto in vndas cadauere, furit in sodales , quas scatenti iam vermibus cibarij panis bucceâ , & fœtenti aquâ, pastas vtcumque ; durioris concubinæ in ancillas destinabat vilissimas. Restituit has libertati fæliciter Hildelbertus, Margaritæ suæ desiderium , mortis generositate compensans : erigénsque ad littus, è marmore Pario, Cenotaphium aureis

aureis litteris, huius frontem sic inscripsit.

*Concipit atberorum rorem, gemmamque
ministrat*

*Concha sibi, fulsit Margaris unde,
mihi.*

*Vt niteat superis portis, tunc fertur ad
astra,*

*Redditur bac cælo, redditur illa
salo.*

*Qua Veneris quondam turpissima mem-
bra vehebas*

*Concha salax, tangas Virginis ossa,
cane.*

Vix dum liliatis auro vexillis, puppibus coronatis, Massilico portui appulerat classis victrix, cum laureatas epistolas, laureati pariter nuntij, mutatoriis equis, & magnis itineribus ad Carolum detulere. Nunquam maiori plausu excepta victoria, eo iucundior, quo minus sperata. Indicuntur publicæ pompæ, religiosa sacra, festiui ignes; ingentisque lætitiae specimen Lutetia componitur. Ad hæc, de morte, publicum epulum Cæsari apparatur; circumstant purpurati mensam solito compitores: vulgari turbâ è longè Regij

Cibi

cibi ceremonias, adorante. Nec dum tertio ferculo delibato, Amelius in-
nuenti Regi pateram porrigebat; cum
ecce subitō Ardericus, accensus vultu,
tremulus labiis, verbis intersistens, in-
terpositā dextrā, abstine, inquit, Do-
mine, timeo enim, ne, qui opprobrio
decus, vitam nunc tibi, veneno eri-
puerit; perfidus iste, quem ad sæculi
inuidiam, ad tuorum despectum eue-
xisti, (me miserum! qui admissum iam
facinus proferre cogor, quod immi-
nens si forte præuisum, nullo non vitæ
amoueretur periculo,) iste, inquam, vio-
lato Regio iure, Belisandæ tuæ florem,
sacrilego temerauit ausu libidinis; ver-
nant adhuc ad dedecus, lasciuientis ge-
nij, reliquiae amatoria; nulla quippè
arbos in horto Regio, cuius truncus
B. & A. primis scilicet nominum ele-
mentis, non denotetur: ab inscio To-
piario flores, & herbæ, in easdem litteras,
formandæ extorquebantur. Sed
quod iste defunctus nuper, testari ne-
queat, viuens adhuc testabitur scriptu-
ra; leuia si putas indicia duellum asse-
ret. In singulari certamen, ut mos fert
patrius, prouoco perduellem: descen-
dat,

dat in arenam, vbi infelici sanguine,
Regis dedecus, stuprum Virginis expia-
uerit. Inde iacta in Amelium chiro-
thecâ, igneis oculis rabidus con-
ticuit.

Turbatâ tunc primum maiestate Ca-
rolus, (sanguine exanimi penè cordi suc-
currente,) peregrino pallore genas infi-
cit, quas paulo post rubor verecundiâ
contractus, admixto dolore vehemen-
tior accendit; visa caligare adstantium
purpura, quasi circumfuso omnibus pu-
dore hebetata; & demittentium ocu-
los, hærente lingua, inopinos euentus,
attonitum vndique loquebatur silen-
tium. Vnus Amelius se ipso simulandæ
innocentiæ fortior, maleuoli calum-
niæ vociferatur; inuidum gloriae suæ
à Cæfareâ gratiâ, horribilibus indul-
sisse mendaciis; se duello paratum; ibi
fore, vt malè textam telam, retexere co-
geretur homo nugacissimus. Abripiunt
mensas interim tumultuariè famuli; de-
cedit confusus Carolus, dato tantum
breui imperio, vt dum agitaretur causa,
sub libera custodia Ardericus; at Ame-
lius addictus turri, asseruaretur in vin-
culis. Iam urbem, vt paulo post orbem,

tristis

tristis fama peruaferat ; variis , vt ferr
monstruosi euentūs conditio, affectibus
excitatis. Solabantur humiliores, libi-
dinis, victimæ, iacturam , ad Regiæ
puellæ vitium, euanescentem. Virgines
autem , modestæque matronæ, nil sibi,
apud viros, reliquum fidei futurum con-
dolebant; qui Caroli natam facilem in-
telligerent. Hi excusare Amelium ab
annis ; & non degeneris proci, sed iu-
ueniliter errantis, misereri ; tota in Ar-
dericum deductâ criminazione ; sodali
impium , causæ intempestium, & Cæ-
sari denotare iniurium ; non illud esse,
quod cuiquam extra dominum , nedum
publico conuentui obtrudendum. Alij
è contra hinc excusare Ardericum, quod
Regio decori crederet sic consultum;
nec enormem audaciam dissimulan-
dam ; sed neque temerè id publicè pro-
tulisse , quod quamuis in aurem refer-
ret, publico paulo post duello , discuti
necessè foret. Immane, quantum mor-
talium indoles assentiendis prauis in-
olescat , nutante adhuc causa , nullius
mentem subiit, an fortè calumniator
Ardericus, tantæ Virginis famam, tanti
viri fidem , temere de stimulis proscin-
deret

deret zelotypiæ ; neque an patraretur, ventilant ; sed toti insistunt , quasi patrato haud dubiè facinori. Sed quandoque id , quod verum est , etiam futiliter prolatum , quodque merito falsis , adnumeret prudentia ; tacito naturæ motu , si insinuans , solet inculpabilis temeritatis extorquere consensum.

At Belisanda , quam subitus euentus altè percusserat , regia indole virile-scens , compressis consciij pectoris gemitibus , nec apertè negare ausa apud comites , quod paulo post timebat asserendum ; neque confessa crimen , quod familiæ attonitæ nihil tale suspicanti , nec etiam verbis suis probaret satis ; sub ambigui doloris manifestatione , an culpam , an calumniam , tacitè concoqueret ; in penitioris gynæcei abdita , clauso ostio , se proripit ; tunc siccis adhuc , ab stupore , oculis , rubentibus pudore genis , manusque usque ad articulorum crepitus constringens : & merito , inquit , cur enim diuinis obsurdescens , Methildis meæ saltem , monitis non acquieuit , iactauerit annosa prudentia impletum vaticinium , quod toties subsannauerat risus puellaris . Simillimum planè , eo-

dem

dem ferè tempore, fœmineæ virtutis par, edidit Gallia : Hildelberto Margaritam, & Belisandam Carolo imputauerit ; pudicitiæ scilicet alteram, alteram immolatam libidini. Gaude Carolinata ; purpurata meretrix audis, Regia prostituta ; deerat fœlicissimo Parenti, æquandis Auguſti laudibus, noua Iulia. O cœlum, ô Pater, ô pudor, doloris tanti numina ! Vnde solatium ? vnde restitutio ? Non, si Lucretiam, ferret adhuc religio ; illa crimen passa, quod feci ; eodem ferro famæ litauit, quo litarum infamiæ ; quid ergo insuper fecerim Christiana ? viuendum tibi misera puella ; dabis impudici pectoris pœnas, pudorem deprehensæ ; placandus animæ Deus, vt trucidando Gallica lege corpore, non solum Patri ; sed & sibi voluerit satisfactum.

Interea Methildis conuocatas gratiosiores apud Belisandam puellas obtestans adiurabat, si quid noscerent, si quid rei tantæ haud temere præsumerent. Illæ syncero corde negare, testari numinis fidem, natales nobiles, nullo vinquam indicio, vel leuissimo, leuitatis aliquid subnotasse in Belisanda, nisi

B quod

quod aliquando philticum illud monilis, risu magis, quam sensu memorantes, notabant subitum puellæ ruborem, quo tamen Virgo probaretur modestior. Tunc iis relictis, dubia adhuc Matrona (quippe etsi rei ignara, non tamen indiciorum expers) in Reginæ se dedit gynæceum, admota nobiliori clave, cui vnicæ frustra ostium obseratur. Erat Methildis prudentissima, & sanctissima fœmina, quæ viro apud Gallos Principe, ab adolescentiâ amisso, dum monasticum secessum adornaret, rogante Carolo, & prudentissimi confessarij consilio, palatum ingressa, infantulæ Belisandæ in custodiam, defunctâ non ita pridem matre, penè à nutricis vberibus, excubuerat, sollicitudine non vulgari.

At Carolus occulto, & contorto breuiorum graduum descensu, labente iam sole, comineat in hortum. Ibi quasi leuandi doloris ergo, tantummodo descendenteret, per non longum temporis spatium, anxiâ cogitatione, gressus intercidens, de ambulacro ingeritur; deinde pari passuum languore, tanquam abductus potius curâ, quam volens iret,

penetrat interiora nemoris. Vbi iam
siluæ denso, ab spectantium, si qui fo-
rent, oculis latet securus; tunc cele-
riori motu, amœniores pomarij tracta-
tus petens, inuestigat solicite, si qua
arbor infamiæ suæ titulos præmon-
stret; nec longâ curâ opus erat; multa-
rum incisi cortices dabant connexas
litteras, & quod doleret sætius, impo-
litas; quasi fœmineæ manus affectum
magis exprimerent, quam artem. Utque
est oculata zelotypia, licet in tam di-
uersa materia, instrumento tam alio, vi-
debatur notare cognatos characteres,
illis, quos in puellæ chartis viderat non
raro. Inde in horti viridarium prore-
ptus, clara æquè in floribus, & herbis,
deducta signa prænotat; quin & buxo,
& myrto vallari, similibusque arbuscu-
lis, & virgultis ductilibus, in varias,
aut natum, aut turrium, aut hominum,
aut brutorum figuram, conformatis;
similes etiam notæ virebant adhuc. Ex-
presserat hæs cultissimus Topiarius, (qui
paulo ante obierat) iussu Belisandæ, dis-
simulato sensu. Ingemiscebat, rei con-
spectu, defixus Catolus; cum subito
pedum strepitu admonitus, sub latis

oculis, videt occurrentem puerum , qui paulo ante aduocando dimissus Alcui-
no ; iam hunc in aulâ sperare nuntiat. Erat id temporis Alcuinus apud Cæsa-
rem, de vitæ sanctimonia, déque mira,
provt æuum ferebat , eruditione , gra-
tiosissimus: quique lapsam litteraturam,
orbi tunc barbaro, si minus restituerat,
at certè detinebat , ne penitus inte-
riri ret.

Redit in aulam Princeps , è vestigio iubens , vt palatij partem fœminis de-
stinatam , militaris cingeret custodia;
neque Belisandæ cubiculum præter
Methildem, & quas ipsa binas designa-
ret , ministraturas natæ pedissequas,in-
grederetur quisquam. Nullum gran-
dius de egregia Methildis fide , præsti-
terat vñquam Carolus documentum;
pronior puellæ facilitatem credere,
quam matronæ tribuere dedecoris; con-
scientiam; eo opinionis, & merito, in-
corruptâ morum sinceritate deuenerat.
Deinde reserato regali musæo!, quo in-
trarat , iussum tantisper sperare Alcui-
num , admisit tandem : (postquam se-
cretioris fidei thecam , ab Amelij cubi-
culo, tunc sibi arcanâ industriâ Ludol-

phi,

phi, abductam , trepidus euoluerat) sic illum allocutus. Nunquam , virorum charissime , doctrinæ tuæ vberiorem fructum percepisse me cognoui , quam in præsentis timerem mihi à vehementi dolore , ab honore læso , ab ira distracto armatâ imperio ; ni reductis in memoriam priscis monitis tuis , animo imperarem. Sceptrum , Humanæ vitæ miserias euadere , frustra præsumperit; homo sum, licet Rex, infeliorum hominum sortis, nihil à me alienum putareim, prædixisti sæpe : cædo naturæ, palatia cum tuguriis , æquo inuoluenti iure, pari ludibrio. Vbi res nostræ sint de puellæ effrontis temeritate , acclamante iam vulgo, licet abstrusus degas, credo noueris : custoditur vinculis, Amelius : milite , Belisanda : & Arde- ricus , carcere honorario. Scio, testatur orbis , Amelium mihi generum non degenerem , stirpe enim ortus Cæsareâ , Comes palatinus , Princeps Auerniæ, haud difficile impetraret san- guinis nostri nuptias ; at nunc , dum quas de pudore vano non ausus am- bire ; de væcordia est ausus temera- re : immanni fit reatui obnoxius ; nam

præterquam petenda, ab horto, indicia, quæ protulit Ardericus, vera deprehendi; nunc serus capio, vnde tam subitò puellæ accrescens rubor, non multis ante diebus, quoties Amelij, aut nomen, aut præsentia intercederet. Sed quod caput est, theca ista, quam, turbatus licet subito ictu, prouidi tamen, ab Amelij cubiculo, mihi abduceretur, ipsissimis vtriusque epistolis, iniuriæ nostræ subscribit. Quid ergo tibi, Alcuine pater, in arduo negotio decernatur, ne aut præceps rapiar in vindictam, aut debito clementior in orbis damnatione, sæuo criminis ignouisse credar; anxius desidero.

Alcuinus, actis prius gratiis, ob ingentem à Cæsare de se conceptam opinionem, fassus indebitam; paululum iminoratus, non tam librando consilio, quam perficandis, quæ obiter, dum veniret, iam dispexerat; sic incipit. Audisti non semel à me domine, quam impium semper habuerim usum duelli, quod nouæ liti dicitur iam paratum; abhorret natura, damnant decreta sancta, alienum, & ineptissimum instrumentum, aut eruendæ veritati, aut suspicioni

suspicioni purgandæ , aut pulsandæ calumniæ ; quām enim sæpe innocens, iure futurus victor, calumniatoris viri-ribus succumbat, ploramus passim ; pie-tatis tuæ est , inueteratam pestem auer-runcare , quā possis : certè , nusquam imperij tui permettere , teneris ; temere enim periculosa aleæ pleno operi, cer-tam indagandi negotij notitiam com-mitteres. Alia igitur via nobis ince-dendum , & tutiori ; maximè cum , vt habes, infidus potius sodalis, quam va-nus calumniator credatur Ardericus. Ego igitur , ni fallor, sic putarem , non inepte negotium digestum iri. Tribuen-dum in primis amici numinis proui-dentiæ , quod ibi laberetur nata , vnde non imparem maritum habere possit: hoc vnum inuiolabiliter sedeat , necces-se est , Belisandam Ameliò tradendam coniugem ; soplit in his rebus detracto-rum feruorem , subsequens coniugium; & næuus si minus tollitur, saltem aureo fuco dissimulari visus. Qua ergo ratio-ne nuptiæ decentius peragi queant, so-lummodo disquirendum. His apprimè conduceat , si epistolæ , quas theca pto-tulit, supprimantur penitus ; nihil eniñ

aliud in causa, præter Arderici obiecta,
 & si quæ alia fortè publicè oboriantur,
 ventilandum; quidquid irrogandi sup-
 plicij simulaueris, suspiciosas, potius
 coniecturas, quam probata punire cri-
 mina, fac cognoscatur. Principum
 vitia, nullo bono exemplo, nisi sub in-
 genti necessitate, traduci credas: su-
 spicetur hæc vulgus, non agnouerit,
 quominus effræne trahatur imitandis.
 Tunc sub datâ custodiâ inanentium,
 morosius reorum disquirantur causæ,
 quasi nihil enixius cupias, quam sub-
 latens adhuc verum deprehendere; mo-
 nitis sæpè iudicibus id recolant, an
 eruendæ veritati, in Amelium tortu-
 ram leges indulgeant; certus in tan-
 tum Principem, de tam leui inscripti
 horti indicio, non indulgere. Tan-
 dem, si quid nouum indiciorum accre-
 uerit, tenue licet, tunc sententiæ ful-
 men, ultra reorum timorem procedat
 horribilius; vt Amelius hæreditaria
 Prouincia spoliatus exul decedat; Be-
 lisanda munitæ turri tradita, paucis
 sodalibus contenta, priuatim degat,
 additâ clausulâ nihil erutum certi; alias
 legibus patriis, necessario abluendam

noxam sanguine; in Cæsarea tamen domo suspicionem paucorum ab Aula rumore, notis hortensibus (quas utram delere possemus, quin conuenturi eo iudices, grauius aliquid coniecerent) & Arderici asserto conflatam; aliisque tandem, si pullulent denuo, aggrauatam indiciis, non mitius puniendum. Si vero prædictis solummodo, quæ hucusque emicant, coniecturis, causam discutiendam obtingat; tunc cadente necessariò apud iudices accusatore, tantummodò sub leuissimis pœnis absolutio certa remoranda; cui tamen quasi iniuitus probandæ tandem subscripteris. Interea dum causa tibi constans, populo nutat, legatus tibi (id mearum erit partium curare) à Pontifice veniet, piissimus intercessor; is longo sermone, epistolâ longiori à sanctissimo Patre, quam multis titulis, prisca serie succedentes Auerniæ Principes, de Ecclesia, deque Gallia fuerunt benemeriti, commendans prolixius, orabit de certa parentum pietate, suspecto filio, qualium, qualium veniam pœnarum, nuptiarumque indulgentiam: sed exorabit tardius. Hac arte

B s

Domine,

Domine, iustitia mansuetudini concilianda, clementiæ indignatio. Barbarum, imo tyrannicum est, Regum injurias vbiique (dummodo exemplum benignitatis, non obfuerit) punitas velle. Comit Reges clementia; aliter plebeis; Regiis aliter mentibus ira confidit: illas obsidet, has præterlabitur; sic asperis, ferisque regionibus diutius niues hærent; cultis, leuis pruina vix incidit, cum absorbetur. Nullis Politicorū monitis, à Regum Rege dissitis assentias, sublimiores tibi paras titulos, verecundis delinquentium lachrymis, quibus ignoscas, quam punitorum sanguine, quem effuderis. Denique ignoscas nihil, si ignoscendum tibi, à Deo, nil solicitas.

Hæc Alcuinus; certè placebant illa mitissimo ingenio Caroli vehementer nisi quod prohibere ius duelli, Galliæ, totiusque Christiani etiam orbis, abusu inolescens; & arduum, & ultra vires formidabat imperij; maximè, quoniam, quæ erat æui barbaries, scioli non pauci, quibus vulgus, ut potè blandientibus, hæret facilius, duellum, non soluim Regum venia; sed etiam facultate volebant,

lebant concedendum ; fore tamen , vt nulli parceret labori , si fortè suorum furorem sanare posset , Cæsar respondit.

Susceperat iam Methildis sinu Belisandam , quam incomptâ , & lacerâ penè comâ , & verberato pectore doloris vi , offenderat semianimem ; inde aspersâ frigidâ restitutæ , qua pollebat suavitatem ; mea herula , inquit , non venio tibi oneri futura , sed solatio ; erranti si fortè non spreta pridem monita iactauero ; sed qua possim , remedium adhibuero ; eo res deducta , vt fidissimæ , vera negare , pessundare sit ; tu modo , si agnitam diu nutritiam , silentij obstinatione non violas , medendum vulnus crede ; Deliqui , immixto gemitu , ait , Belisanda , deliqui Mater , præter impudentiam meam , conscientia nemine ; infastæ venationis , quam Pater æstate præcedente instituit , (memineris opus est ,) infantior præda facta . Post hæc , collapsa iterum exanimatur . Exhibuerat scilicet , commoratus tunc Carolus apud Arelatenses exhilarandæ muliebri familiæ , leuioris apparatus venationem . Ergo dum transfigendis damulis

incumbitur; subita vicinorum hostium manus sub noctem ferè , improuidas cateruas inuadit ex insidiis. Conscendunt concitatius singulæ fœminarum equos , quà quæque potuit , perturbatissimo ordine dispersæ. Amelius, quem cura non pridem ingrata puellæ, (quod sæpius plenis modestæ iræ verbis , Methildis increparat ,) non longè à fœminea turba , dissimulato gressu , detinuerat , cùm fide publica , tum priuatis stimulis , tutandam subsequitur. Conuenere , alta iam nocte , deuij , vacuum tugurium , tenebræ , ætas , occasio subscripsere dedecori ; si quid credendum miseræ ; non tamen excusandæ ; non præsentem amasium dilexit , sed iam diu destinatum futurum coniugem. Paulo post noctis meridiem , fugatis hostibus Purpuratos, satellites, turbam audiunt, clamore Belisandam indagantes. Tunc suspicionis vitandæ proripit se Amelius; illa quasi suspiratis responderet , se prodit, qui inuentam Regiam virginē sibi gratulantes , mulierem reducunt in palatium. Methildis acclinata lecto puellam denuò refouens,(dolorem intercipiens, qui è castis auribus vulne

vulneratis, cor penetrarat altius,) & pacatori animo esse iubens, placandum in primis numen pœnitentis gemitibus, ingerebat: Belisanda læthale venenum animæ, apud confessarium occultè deferendum, euemeret; cætera honoris læsi, infamiæ contractæ, subirati Parentis, sibi curæ: nil tamen profuturae, auerso Deo; quem proinde festinaret anxiè reddere propitium. Nec aliud erat iam Belisandæ votum, vltra proprium dedecus, ut par erat, vltra Parentis iram, iniuriam diuinam condolentis, paucisque post diebus, diligentioris Matronæ industriâ, apud sanctissimum Sacerdotem, commissa lachrymis, neque his muliebribus, (quæ magno meroque inani redundant crebris) sed pungentibus, expiantis.

Abduxerant interea Prætoriani milites Amelium extra urbem, in arcem munitissimam, sero, ut euenit, Amici discessuri olim, monita deplorantem. Igitur vbi se ab insperati fulminis stupore, receperat paululum: Methodium, (quem fidissimum semper arcanorum participem, & puer adhuc habuerat pædagogum,) datâ curâ remiserat, quo

prædi

prædictam thecam in tuto collocaret,
hac saluâ, cætera quæuis, Regiis mini-
stris direpta, pili faceret. Hunc ergo,
vbi subtristiori facie videt redeuntem,
& saluis reliquis, vnam interceptam
thecam nuntiantem; subrauco fremi-
tu, periuiimus, inquit, Methodi, pe-
riuiimus, si Caroli quod suspicor, con-
filio res peracta. Methodius amplecti-
genua, consolari, non videri inopino
Cæsari id subitum; fortè è militibus,
quibus domus in custodiam tradita, ali-
quem furtim, cubiculo turbatis fami-
iliaribus, irrepisse; & paruam facilius
occultandam, sed quam putaret pretio-
siorem prædam inuolasse, id fælicitati-
dandum, quod cum intus monilia, fibu-
læ, anuli seruarentur, fur his inescatus,
nequa vñquam vestigia, deprehenden-
do suppetant; incuratas litteras demer-
geret cum thecâ pariter, licet pretiosâ.
Et vt quæ cupimus non inuiti credi-
mus, non id conjecturæ vanæ deputa-
bat Amelius. Tunc deliberaturi in ne-
gotio perplexo satis, immorantur diu
id tamen ex compañia placuit, vt Ameli-
eus aduocaretur dissimulatus; cuius in-
dustriâ, operâ, si quid rebus desperatis
remedij,

remedij, suboriturum; omnia prudenterissimi, & sanctissimi viri consilio dirigenda; ipsum Methodium eò iturum, difficultate longioris viæ, mutatoriis equis superatâ, quo posset pernicius; deinde accepto pugillari, ocyus in hæc verba: Amelius amicissimo Amico. Vbi, cur, qualis habeam, disces ex Methodio; non aliunde aptius fidem meam probaturus, quam quod de fide tua, nec ita dubitem. Parum est vita, honor periclitatur, actum de sodali est, si quid moraris; non minimum dolorem addet contrahenda è vultu tuo verecundia, quem etiam absens erubeo; cætera tamen mala, te veniente, aut fugiant spero, aut minuantur: saltem id obtinuero, ut præsenti extremas restituam reliquias afflicti spiritus, fælicius acturas pectore meliore. Vale. Tradidit inde Methodio epistolam obsignatam, vix albescenti luce discessu.

In somnum noctem duxerat furore Ardericus, dolore Amelius, pudore Belisanda, Carolus curâ, solicitudine Methildis. Persuaserat hæc puellæ, opus esse, ut cuncta Carolo, Regi quantum,

tumuis, at Patri, fierent manifesta; fru-
stra denegari, (prænouerat iam mirâ sa-
gacitatis technâ, thecam proditricem,) aliunde scienti; imò hinc pietatem ex-
torquendam, quod quasi inscio, notitia
non extorta, sed vltro redderetur inge-
sta. Annuerat vix Belisanda, hoc tamen
fixo, ne in Patris conspectum cogeretur;
nullam mortem Paternis oculis grauiio-
rem, inculcans sæpè. Sub hac pietatis
machinâ, nondum satis progrediente
die, adit Methildis Carolum, summotis
arbitris; tunc simulato gestu, deferen-
dum arcanum venditans, Habemus, in-
quit, fortissime Rex, quod ignorare
mallemus; degenerem suis educaui Re-
ginam; non tamen conscientia; imperet
exferuescenti maiestati, Paterna beni-
gnitas; non stupri, sed nuptiarum fe-
stina, deliquit nata; si quid est tanto
dedecori relevando, non affectata fa-
cri palatij violatio, sed fortuita tu-
gurij licentia, miseram perdidit. Tunc
exposito venationis infortunio, nunc
miserans, nunc excandescens, inter-
mixtis lachrymis, conticuit. Egregia
in utramque doli partem, artifex fœ-
mina; sed Methildis dolus solummodo

in bonam semper conspirarat. Ad numero, inquit, Cæsar, officiis non vulgaribus, à te mihi delatum arcanum, Matrona nobilissima, sed non nouum, habeo propudij geniti litteras, apertè rem testantes; nec est, quod te expurges; indidem innocentia tua patet, dolente perfida ad amicum, raro illos, aut nulos concessos sibi prospectus, prolixo, attentioris custodis studio imputandos; te alicubi masculam Argum, cupidæ sibi incusans; sed mihi probans; neque his, tuæ apud me, opinioni opus erat; nondum epistolas interceperam, cum vt olim pudico parthenoni, postea suspecti carceris deputauit custodiæ; de cætero autem hoc vni tibi: pietas tandem miseris affulget, sed illa sera; alterum Patri datum, vt voluisti, alterum Regi; id tamen alumnæ penitus subticendum; cui solummodo id spei prudenter indulseris, quo, ne in desperantem furorem rapiatur, opus videris. Methildis impresso Regiæ dextræ osculo, eodein vultu discessit, sed mente hiliori; sic deinceps rem versans, vt neque Carolo fidem, neque Belisandæ minueret
indul

Assignauerat Methildis præscripto Caroli Virginem modestiorem, itemque Matronam è grauissimis Dorothæam, quæ Belisandæ afflictæ obsequio iuxta forent, & solatio. Dorothæa non solum suauissimis colloquiis; sed & librorum utili lectione puellam recreabat; quos inter codiculum obtulit Irenis, Virginis & Martyris gesta continentem: & placebit, inquit, præ aliis, mea domina, sacrum hoc opusculum, Virginem refert, per summum scelus traductam, & tandem probata innocentia triumphantem. Concipiet hinc spem delatus pari calunniâ, (sic Matrona crediderat,) pudor tuus, exitus fælicioris: Neque enim mergitur vñquam virtus non emersura. Belisanda non tam exemplo, quod sibi minus aptum dolebat, quam historiæ piæ intentura; benevolam se præbet; hanc, Matrona iussa legere, sic incepit.

Iam Christo Hispania ferè tota dixerat sacramentum, castris Arrianæ perfidiæ debellatis, cum Regiæ stirpis Gothicæ, haud infælix germen, Castinaldus,

Atinaldus , belli , pacisque artibus ubique clarus , Nabantiæ colebatur Toparcha : Dabat ea tempestate ingenti Oppido nomen Nabanus fluuius , qui amoenitate potius , riparum celebris , quam vndarum mole , Lusitaniæ plaga irrigat non ignobilem. Interrupere rat iam seniori Castinaldo lætum prosprioris fortunæ cursum , morbus unici filij , isque , ignoto eiusdem fonte , deploratus . Hæres , in spem domûs , in tot auorum titulo , in Patris voluptatem , & illam seram educatus generosissimè , arcanâ tabe consumptus , despontentibus iam arti medicis , excruciatbat suos . Armabat se carnificem memoria , nihil miseris in tormentum non repræsentans ; quippè Britaldi , (hoc nomen iuuenis ,) elegans species , suavis indeoles , facilitas comis , robur præproperum , armorum peritia , quæ allegerant olim , tunc torquebant in duplum ; singulis caducas delitias , breues , & infaustos amores gentis . suæ , acerbo tradendos funeri , congementibus .

Quidquid hoc est doloris , (dicebat commixtis lachrymis , Pater piissimus ,) animi ,

animi , animi esse non iueris ini-
 ficias , mi Britalde , anxia cura con-
 ficiuntur , tu alicuius , quod subtices
 contumacior , ego tui. Quandiu pie-
 tati paternæ , celato vulnere , impius
 derogaueris ? an putas prætereundum
 aliquid , mea lux , in tui sospitatem ?
Quidquid remedij cogites , impenso
 vel hoc spiritu , apparabitur. Agnosco
 probe , hæredis mei indolem , cui im-
 pendor , nec annos meos numerat , nec
 tardæ senectæ inuidet , quasi adeundis
 fortunis obstrepenti ; natorum id fue-
 rit degenerum , quos prolixior Paren-
 tum vita mœstius afficit , incusato
 amarioris ætatis ingenio , splendidum
 opum usum , iuuenibus interdicente;
 nam ad hæc iam satis te mihi senseris ,
 quasi superstitem : Multis modestus
 parcis , quæ largus obtuli. Vnde ergo
 consumeris chare puer? amas profecto ,
 amas , id medici augurantur , membro-
 rum languor , corde subsiliente ; gena-
 rum pallori , intempestis vicibus , ru-
 bor succedens , desidibus nunc oculis
 in mœtorem : nunc subito , quasi in
 cupidinem æstuantibus , te produnt:
 adde tacita murmura , importunè
tractos

tractos in sonitum digitorum articulos ; iamque quasi concepta spe hilariorem , iam quasi æstu contrario deiectum , indicem vultum. Nutris , mi Britalde , furorem , si dissimulas , imò insanis iam nec tui, nec nostri meior, ecquam enim credis , tuis se nuptiis, non habendam fœlicem ? quámue ego tibi , sub his fluctibus denegauerim ? electæ vnde cuinque impari subscribam facilis ; satis mihi , & opibus , & genere dotata venerit , per quam , puer dulcissime , conualueris ; imò qualem qualem emerim mihi nurum, impensis omnibus. Proterius iam sit pudor, si te in Patrem suauissimum obarmet adhuc. At fortè sublimius volasti, imparem procum te metuis , improbi ausûs pœnas luiturus : vel tandem, quod minus vellem , alicuius iam nuptæ flagras incendio : sed nónne hoc patri tutius committatur ? non aptius, quod opus fuerit , vtrique consuletus ? quid ergo taces ? nec saltem, audire te negantem, promeruerim : Hæc sere præ dolore , verba Castinaldo, quorum iam postrema singultibus succubuerant. Juuenis tamen obstinatus potius

potius mori , quam vel etiam Parenti pectus prodere , blando , neque longo sermone se excusare ; nihil mirum si occulta ægritudine contabesceret ; mille morborum origines, occultas medicis, velantibus imperitiam, re, per inanes diuinationes , alio longissimè deductâ . Melancholico affectu rapi, nec unde contraheretur , perspicuum satis; non semper à casibus sinistrioribus inchoari ; fœlicioribus sæpè obrepere, quasi præsignante numine, solida gaudia alibi inquirenda , nec semper prosperis pedis lequam voluptatem ; iam diu indulgentiæ paternæ sibi agnitæ, neque pudore ingratum , nec iniurium silentio perstiturum , si quid dicendum subiret ; id seueriori fato suo dandum, ut dum dolores queritur , causam inquirat, tormenti conscius, nescius tortoris. His Britaldus, similibusque affectui Paterno sæpè inludens , mallebat prudens , piúsque , in herbâ detrunicari , quam detecto morbo , Parentem, fortè plus æquo dilecturum in iniqui medicaminis adigere violentiam.

Excrescens indies , aggrauato Principis morbo , Aulæ mœstitia , iam po-

pulum in lachrymas commouebat, iam
 indictis pompæ publicæ suppliciis, in
 Petri vetustissima, celeberrimaque
 æde, pio clamore opeū sollicitabat;
 nuncupatis haud vulgaribus votis, dem-
 ptâ præsumptione, confidentior; cum
 Irene adeundum sibi Britaldum, in-
 culcat suis, insperatâ, rei tantæ, no-
 uitate, perculsis. Adoleuerat Virgo
 clarissimis orta Parentibus, Hermi-
 gio, & Eugenia, in coœuarum Virgi-
 num admirationem, si ingenuæ, inui-
 diam, si proteruæ. Nihil hac maius,
 tulerat Lusitania, siue mentis dotes
 attenderes, siue corporis; ingentem
 oris speciem folâ maior purioris spiri-
 tuis superabat; quasi pulcherrimo ho-
 spiti condignum habitaculum metare-
 tur Christus, sponsam sibi castissimam
 compturus vndique. Huic certè desti-
 natam è cuna, non leuibus indiciis,
 agnouerant iam Parentes; vnde mor-
 tales Virgini nuptias ingerere, ausi
 nunquam, quantumuis cupidissimi.
 Vt enim sua pullulantem adhuc virti-
 cam loquitur asperitas, ita priuum
 exortum, suis quemque nobilissimum
 flosculum, commendat odor, Quin
 Selij

Selij monitu , (erat iste Abbas quidam sanctissimus , Eugeniæ frater , qui neptem virtutibus omnibus expoliendam curabat ,) in ædium penetralibus, gy næceum puellæ sic condiderat, vt meritò Cœnobium autumares. Ibi Irene, adhibitis sodalibus virgunculis , sub Castæ , Iuliæque , (sorores erant Hermigij,) disciplinâ vacare Deo ; cætera, nec pili facere , aspectu indigna existimare , nedum curis. Igitur vnde Irenis menti incideret , inuisere Britaldum; quæ raro etiam in familiarium viroruin conspectum veniebat ; palatum adire , quæ viciniores cognitoruin domos , vix aliquando ingressa , haud mediocriter solliciti , ambigebant Parentes. Leuius aliquid de Virginis prudentiâ, nedum moribus, suspicari, nec etiam maliuolis subiret : nec tamen vel beniuolis , egressus ad decentiam, probari posse visus. Illa id saluti iam deploratæ Principis apprimè expediens, affirmabat ; rem euentu lætissimo probatura ; de cætero tacebat, ne cur, aut vnde fiducia , reuelaret. Parentes è contra seuerius indignari ; vnde decotum apud probos rerum æstimatores,

Virginem Deo deuotam , his immisceri ? Si promissa non succederet salus, ludibrio habendam , periculiosiori suspicioni , si succederet ; iactari in oppido iuuenem amore languidum ; fac illum aspectu tenero , & officioso colloquio , puellæ non indecoræ conualuisse : certè vni , & vulnus , & medicamen imputabitur. Amoris plagas in hoc , Telephaeis illis , credi persimiles. Vnde ergo heri nata , iam hodie seniorum monitis non staret , nisi peruicax ?

Erubuerunt in hæc verba pudicæ genæ ; vultusque Virginis in grauitatem formatus , vel etiam Parentibus iniicit reuerentiam , id solum orat, aduocetur sibi auunculus , prudentissimo senioris consilio rem deferendam. Neque mora longa , adest Selius , socio Remigio , quo maturioris iam ætatis, & bonæ litteraturæ Magistro , Irene ultra sexum euaserat eruditior. Abbas postquam morosè satis , dilectæ neptis dispicit cogitata , (aperuerat illa mentem auunculo, concipienti prius iusfrandum , habendam in arcanis,) redit ad Parentes : nec retardandam Virginem

nem serio monet: ituram necessariò:
tenorein solum, quo res decentius fie-
ret, ventilandum. Assentient ergo isti,
humano aliquid maius Abbatii soler-
tissimo, à puella indicatum, haud te-
mérè præsumentes, quod etiam Paren-
tibus celandum, visum non importu-
num. Id attentius deliberantibus, subit
commodius, & chorus Virginum, Irene
duce, sub custodia Castæ, & Iuliæ, &
aliunde Selij, nonnullorūmque Mo-
nachorum latere venerabilior, Petri
ædem supplicabundus adiret: quasi
non solum priuatis precibus, sed etiam
votis publicis, studeat saluti Principis:
inde tanquam per speciem officij, pa-
latium vicinum obiter ingrediendum,
consolandam iuuenis Matrem, senioris
Iuliæ verbis. Cætera, quæ Ireni incum-
bant, è re, loco, temporéque tractanda,
sibi relinqui.

Processit castissimus chorus, incessu
grauis, modestus habitu!, oculis pudi-
cus, quem obuiæ vndique turbæ, aut
hilares præibant, aut stipabant piæ,
aut reuerentes subsequebantur, ingenti
scilicet spe conceptâ, è tam puris pe-
ctoribus preces, piiissimâ violentiâ cœ-
lum

lum perrupturas, eoque religiosa spe-
 ctantiū processerat fiducia: vt sibi iam
 de restituto Britaldo, populus gr atula-
 retur, festinus gaudij: dū numen placare
 tentant, & facientis attentissimè Selij
 sacrificium, commendant profusæ aris
 Virgines, iam Castinaldus in animi
 gratissimam significationem, Hermegij
 familiam, de se optimè meriti, exce-
 pturus descendenterat, Sacerdotisque sa-
 cro, & Virginum peractis votis, sic ad
 illas, maximè in Ireneū defixus, (in
 illum usque diem non ante visam,)
 cuius modestissimam formam, iuxta-
 que pulcherrimam mirabatur. Si non
 aliter, inquit euenturum, vt ego con-
 spectu vestro fruerer, Virgines sanctissimæ,
 nisi per Britaldi mei morbum,
 per tot senilis huius pectoris dolores,
 haud vanus assuerauerim, tanti fuisse.
 Ergo in oppidulo hoc nostro, tot cœli
 aluinas degere, pluris fecerim, quam
 si vniuersam Hispaniam, imo & or-
 bem, imperio tenuerim: id vnicè cu-
 piām, vt deinceps, non iam me Do-
 minum habeatis, sed parentem, nihil
 erit, quo dulcem exinde titulum vio-
 larim. Tibi verò, venerabilis Pater,

(ad Selium iam conuersus,) cui gratissimum obsequij genus, beneficij instar refero in acceptis, aliud denuò debuerim, fecisse velim: iacet coniux doloris impatiens, quam mollior conditio, à filij lecto, non patitur dimoueri, ideo exceptura, quod maximè optarat, castissimam cateruam non suffecit: da hoc afflictæ leuamen, vt domi suæ fruatur aspectu iucundissimo; restituet sperro Matri filium, vtrumque mihi; id si tuo ductu fiat, vlo me arctius deuin-ciendum, speres frustra. Discat Brital-dus meus, quid genti suæ debeat, cuius meliorem partem, sic sibi viderit im-pensam; si propitio numine viuit, in-uicem officio tanto rependendus. Nihil Selio gratius audiri poterat, quando nec tutius, insperatus Irenis congressus poterat dissimulari, quasi casu vocata iret, quo destinans properabat. Igitur quasi Iuliæ rem difficilem suadeat, tan-tisper apud illā immoratur, ac si extor-quendo consensui laboraret; inde mo-destè vrbanus; suauissimum, inquit ty-ranidis genus est, Castinalde, id pre-cibus committere, quod imperio pos-ses: Sic Princeps etiam tuorum animis,

domi

dominaris potentior. Subitur itaque Palatum, & speranti iam dominæ in languentis cubiculo, virgineus cœtus sub ingenti modestia repræsentatur.

Britaldus subito Irenis aspectu (in quam vnicè , sed furtim , collineabat obtutum) commotus vndique , subeunte deliquio penè exanimatus ; iam satis , si quis spectantium sensus prouidè attendisset, morbi causam detexerat, solummodo , de nullâ præsumptione præuiâ , tunc ignotam ; sed frigidæ respersione, iam sibi inter Parentum clamores restitutus , assidenti Iuliæ non satis expeditis verbis , officiosi congreßus egit gratias , dumque hinc inde , domesticis , & virginibus miscentur sermones grati : Irene, quæ consulò , quasi fortè eueniret , ad caput iuuenis considebat , occasione captâ ; dum alij aliò inuicem attenderent, hæc ægroto , demissis interim aliò oculis , à nemine deprehendenda , submissius insusurrat : noui Britalde insanum vulnus, quo peris , sed corriualis Christo, quid proficias ? non sperneris , dum Domino vnicè postponeris : eius nomine , & salutem , & mentem tibi ac-

cessi redditura: caue vltra. Subitum interim adstantium silentium addendis obfuit: dictis, inter colloquentium strepitus, occurratis. Sentit repente Britaldus membra vegeta, mentem meliorem, quod tamen prudenti calliditate putat dissimulandum, tunc ad Iuliam, commixtamque chorum, iam iam abeundo assurgentem, tantis votis restituendum sibi vigorem sperare, subdit, nique falleret animus, iam languorem, longè obsidentem leuius praesentire. Inde hilariori familiæ, vale dicto, Castinaldo ipso comitante, & stipantibus Aulicis, redeunt virgines. Nec dum interiecto biduo, testatur se robustiorem Britaldus, appositaque tandem successione, in columnen omnino, qui subito Irenis verbis conualuerat: mallebat quippe sagax breuiorem efficaciam miraculo denegare, quam leuissimam ansam, mortalium geniis praebere suspiciosis. Parentes tamen, & populus, qui deploratam dilecti Principis vitam, sibi gratulabantur redditam, cum Abbatii, sociisque etatissimæ sanctimoniarum viris, tum maximè virgineis deuotoriis precibus,

clamabant

clamabant imputandam. Soteria pro
Principe, dicata Deo, festiuosque, gen-
tis votorum damnatae, plausus, quidam
sic descriptsit.

*Venit Io , viuit , dubitatique sidera
cernit*

*Britaldus , Patria fidus , nec flebile
Clotho*

*Ansa nefas ; retinet fuso , iam parle re-
fectum*

*Filum ; tuncque colum precioso vellere
cingens.*

*Aurea deducit , inneni noua pensa , re-
nato ,*

*Duratura diu . Quid ni , si machina
muros*

*Obruit excelsos ? patuerunt claustra po-
lorum ,*

*Virginea pulsata , fide : nique co-
loris*

*Vidimus insigni , latam properasse sa-
lutem :*

*Cen , turbam novisse suam , terrique
beatum*

*Intacto candore chorum , testetur . Ho-
nore*

*Angelico mage digna cohors , que carne
repellis*

Carnis onus : mediis irridens ignibus
igneis :

Nobiliore sacrum flammâ , dum pectus
aduris :

Sera precor maneas nobis , nec sidera
(forte

Regna tibi) celeranda velis ; sat longa
manebunt.

Interea , grato , recolat Nabania ,
corde

Quas fœlix , caritura malis , enutrit
alumnas.

Ha diuum poterunt Agnum deducere
Cælo

Lilia pasturum , casto , que peccore
vernant :

Ab , quid non valeant ; Christo duce ,
et auspice Christo ?

Ite procul morbi , procul hinc , procul
esse dolores ,

Casta caterua iubet ; trepido , cui Par-
ca , pudore

Contulit obsequium ; referat cui limina ,
duro

Structa adamante salus : coma cui vin-
atura Tonantem ,

Neglectim exerrat collo , cui certa sa-
gitta

Mittitur

*Mittitur ex oculis, torquentem fulmina
tangens.*

Exhibebant se Castinaldus, uxorque Hermigio deinde comiores: quem enim sanguinis, virtutisque titulis diu coluerant, iam quasi summe beneficium diligebant impensis; non raro eius domum adibat Matrona princeps, per inuisendæ Eugeniæ speciem, Irenis, sodaliūmque gratissimo congressu fruitura: quarum verbis, familiaritateque sic delectabatur, ut ab illis auelli, ferret ægerrimè: nec infrequens ad Hermigium, Castinaldus, quandoque etiam canitie, & dominio venerabilis, ad plūm virginū colloquium, licet non diutinum, admissus; quarum etiam ædiculari, oblatis religiosis munusculis haud vulgaribus, adornabat. Vnus erat Britaldus, cui iuueni, quantumvis cupidissimo, id cominercij erat in prohibitis; desideria tamen Irenis suæ, & illa pia, aduocatis nonnullis ab eiusdem familiâ, releuabat: multa cum hisce de Virginis virtute; de castissimâ indole: nihilo, vel remotissime, quod leuitatem saperet, insintiatos nec certe profano igne cor æstuabat.

adeo Irenis reuerentia, efficacia verborum, & miraculi stupor, quidquid suspicareris lascium, auerruncarat. Audierat à quodam inter cætera, quæ de puellæ exercitiis narrabat, solitam quandoque per occultum ædium ostiolum, in syluam propriam ad Nabani ripas sitam, conmineare, ibique amœnioris loci solitudine, auicularum cantu, vndarumque fragore inuitatam, spiritum eleuare, purissimo cœlestis sponsi commercio recreandum. Erat aliquid, quod Princeps exponendum Ireni, suminopere satagebat: vnde ansâ hinc datâ, syluam illam, arcane viuæ sepiis aditu superato, frequens, & occultus repetebat, in magna fœlicitate positurus, si furtim, breuis colloquij occasionem faustissimam, fors emitteret: nec ista tandem in longius producta. Æstas erat, cum in occasum, sole iam vergente, errabundis vestigiis, per syluam, hinc inde venatorio habitu, dissimulandus, si fortè aliis incurreret obambulans, prospicit ambitam prædam, Irenem scilicet, truncō innixam, oculis in Cœlum leuatis, decoris lachrymis comptiorem, &

inter

interiectis suspiriis accensam , quasi alienam sibi, Hæret aspectu subito Britaldus, fixoque gressu, vnde ardorem olim, iam combibit pietatem: tardabant nutantes reuerenti animo poplites, processum : cogit tamen , coactus desiderio , gradus in puellam , nil tale (fixerat mentem alio) aduertentem : iamque proximus stupet denuò frigidus , sensim spectaculi reuerentia succrescente , & quasi aduerso sole , submittit oculos , corde subsultanti , nefas pietati dicit , si è tanto somno excitet , sibi , ni præmeditata conferat, importunum. Ergo dum diu dubitat, quid elegerit , petitâ , nec impetratâ bene pudoris veniâ, se præparat in sermones : aduocatâque haud liberâ tuſi, missoque pedum strepitum, tactum non ausus, reuocat puellam.

Irene , dum sibi reddita , iuuenem attendit , nouo suffusa rubore , virgineisque facibus genas accendens. Ecquæ acclamat , Britalde, enormis hæc audacia ? an quod Principem te agnoscas? debueras Christianum. Æterni Principis delicias , vel oculis delibare , nefas fuerit : flori nostro , vel à conspectu

periculum ; quin & aura leuissima , ve-
nit noxia : ergo zelotypum pati numen
non formidas ? Ille in omnem mode-
stiam vultu iam composito : parce , in-
quit , Virgo , timoris si quid concipis ,
mitte vile : Venerator melioris ardo-
ris tui huc venio , non violator : ze-
lotypus quantumuis diuinus Princeps ,
sat scio , condonabit , nec habebit su-
spectum , quem intus prospicit . Non-
nulla tibi exponenda , ardentius , quam
expresserim , sui impos iam diu deco-
quit animus , id ego de te merear (nec
certè demeretur affectus pius) vt pro-
denda permittas , quæ tacentem haud
dubiè conjectura , ni fortè nouo mira-
culo sanandum destines , ab ore muto
lacerum , quem nuper ab obuio aspe-
ctu languidum restituisti . Irene inte-
rim demissis solo oculis , quid aptius
pudicitiae foret , cogitabat : detineri
diutius , habet indecorum : inutile ve-
rò fugam adornare , imo & exasperato
Principe , periculosius . Igitur tacite
cœlestium opem implorans , conceptâ-
que fiduciâ , commotum pectus sere-
nans , iusso , rem in pauca digerere , at-
tendit Britaldo , qui in hæc verba . Sub-

stitit hic paulum Dorothea , quærenti-
que Belisanda , cur moraretur , doleo ,
inquit , anxiam Virginis curam , quæ
nisi è Cælo fiduciam conciperet , mal-
let puto periculosè fugere , quām inde-
center manere , quamvis exasperato
Principi , non pudore , sed sanguine
pœnas lueret , sed iam tutius cum Ire-
ne , Britaldum audiamus .

Indoles tua semotior , nobilissima
Virgo , egressus rarus , etiam connu-
trito in eadem Vrbe Principi , tui , re-
rumque tuarum notitiam surripuerant:
bimestre nondum effluxit , ex quo pri-
mum te viderim , & perierim . Adibas
(sat memineris) dum festiuus dies Pe-
tri agitaretur , factam apud nos ædem
decantatissimam , huc solummodo , id-
que semel quotannis , egressa diceris ,
rapuisti fateor visa , quem obstinato
pudori conscia scio , non vidisti , plau-
sere vndique iuuenes , te veniente , vix
dum amanti mihi , & tamen iam zelo-
typo , ingratissimi ; notaui nobiliores
matronas , virginésque , quas habitus
illustrior , & locus honoratior , è tur-
bâ se mouebant , obuiis vlnis , amicâ
contentione , te , Matréisque in suum
quasque

quasque congressum , inuitasse sollicitas ; placuit hinc te ingenuam , & ab optimatūm splendore deprehendisse ; nec tamen potens silentij , suppresso licet vulnere , à proximiori satellite inquiro , quænam Matrona illa , matrem tuam designans , is Eugeniam Hermigij vxorem memorat , tēque Irenem , horum natam . Detuli benignissimo genio , inde vulnerari , vnde haud degeneribus nuptiis , plagam sperabam medicandam , sedecit immobiliter , è beneuolis meis Parentibus te coniugem impetrare ; tuos longè faciliores ardori nostro , suspicabar , ex commendo , affinitatis , non mediocri . Vix è templo domum redieram , cum dissimulato anxiè dolore ; multa de festo , de Virginibus aduentantibus , qui mos est adolescentum , apud coæuos , iacto ; promiscuè de te nonnulla , quasi nihil priuatum interesset , potuerunt è turbato vultu , & aberranti linguâ , mentem subodorari : dandum miraculis tuis , non euenisce . Illi de te optima , sed non in illa rerum serie , quam tunc mauellem : notum scilicet , absconditi sub habitu decenti horridum fac-

cuin : ferreis etiam muricibus , tene-
rum pectus constringi ; triduum , non
semel solidum iejunio toleratum , die-
rum cætero , cibis semper parcissimis,
& vilissimis contento : dari prodigo
sub hac carnis maceratione , eximiam,
quam suspexeram , pulchritudinem ; il-
lud tandem commotæ tunc menti gra-
uissimum inculcatur : strictam te Chri-
sto votis , veneni instar , humanum
quidquid nuptiarum , exhorrere : ma-
ioribus curis , & his cœlestibus occu-
pari animum. Hæc illi tunc tumultua-
riè , quæ deinceps probando magis pru-
dentiam Matronarum testimonio , ad-
dentiū grandius aliquid , cumu-
lantur.

Quid facerem ? indignabar fortunæ ,
nondum erumpentes conatus , immissâ
desperatione , præoccupanti ; optantem
animum compescere , non erat : Sed
hinc cupido , timentique medius cru-
ciabar : ignauis scilicet mihi visus , ni
ambirem : denotandus , si paterer re-
pulsam. Sub his æstibus , quidquid
ætate feruidus , amore raptus , & arma-
tus imperio , machinarer : Subito nescio
vnde , insolita menti lux euertebat fa-
cile;

cile; te mihi quasi sub augustiori spe-
cie, sic obiciens, ut religioso magis
honori esses, quam leui blandimento.
Quid plura? cedo numini, triumphans
me metipsum; nec tamen corpus domi-
nantis spiritus imperio sufficere potuit:
succubuit itaque oneri, in cineres breui
redigendum, ni venires; timueram
quippè ego tibi, iam sub stimulis aliis,
chariori, ab indulgentia Principum
Parentum: ne forte morbi causam
agnoscentes, Hæredis vni morti, vio-
lento nuptiarum apparatu obuiandum,
darent æquitati. Igitur præmeditatâ
morte constantior, silentio nostro in-
iurium tibi dolorem, putavi redimen-
dum: An aliquid, hinc mihi debeas
Irene, prudens ipsa videris; neque satis
soluisse credas, dum salutem imputas;
hæc enim mihi quâuis nece funestior,
ni aliquid ultra spondeas, quod exigam,
aut iniquus: hoc scilicet erat, cur his
colloquiis tantopere inhiarem: Quod
me Christo post habeas, lubens perpe-
tior: mancipio imperes, benè est, Do-
mino copulata: caue tamen, (dabis
enim furoris mei reliquiis quandoque
scintillantibus, quod addiderim,) caue

Irene,

Irene, ne me vnquam mortalium alii
cui, doleam postpositum; qui enim
amanti cordi potui imperare, non va-
leam zelotypo, debitam Deo, mihi,
verecundiam, si fortè violatam, sacrile-
gi rubore sanguinis infecturus: meliora
longè de te, ego, excellens Virgo, ti-
mori tamen, siue dolori isti non cede-
re, vix sustineo. Nemo vnquam seriò
infaniuit, cui iam sano, amentiæ quan-
doque vmbra non inludat: ingentem
olim furorem meum probat timor hic
vanus, (sit semper talis precor,) qui
tamen minas probauerit haud vanas, si
quando fuisse prudentem, euentus quiſ-
quam tulerit infaustior.

Ad hæc Irene breuiter. Ego inquit,
Domine, morbo tuo, cuius causam
cum cæteris ignorabam, afflictæque
patriæ consulens, vt par erat, anxiis
precibus, Christo rem deduxeram: ab
illo, non indignæ ancillulæ, sed pu-
blicis negotiis annuente, & plagam di-
dici, & afferendi remedij tenorem; re-
stisti diu confusa, pudori, nouitatique
attendens: vrgebar tamen acriùs im-
plendis iussis, adhucque etiam piè,
vt credebam, rebellis abstinerein, ni
iam.

iam offensum moris sponsum experiter:
 Selij tamen dispicientis cuncta, vt clari-
 simum, cœlestis Regis imperium in-
 terpretantis, acquiesco monitis, cuius
 ductibus, quām obuelatè decuit, res
 peracta, prudēnsque senioris iudicium,
 euentus prodidit. De cætero perge se-
 curus: profudero, aspirante numine,
 vitam prius, quam pudorem, neque
 enim, (humana loquor,) sic demens de-
 go, vt nuptiis Principis, vltra spem,
 oblatis, priuatas præposuerim: si pru-
 dens, sciēnsve fallam, datura pœnas.
 Tu interim virtutibus assuesce, neque
 te toties diuino obsequio debitum, im-
 pendas nugis: decet purpuram tuam,
 virtus, si fas est dicere, purpurata: nec
 vulgari sanctimoniam Princeps contén-
 tus vixerit, quem thronus singulariter,
 secernit vulgo. His dictis proripit se
 Virgo, sic gressuum celeritati indul-
 gens, vt nec inde læderetur modestia.
 Britaldus iam pacatior remeat in pala-
 tiū, neque tamen deposito penitus
 illo, nescias vnde, timore zelotypiæ:
 cui Daemon inuidus adornans aliunde
 fabulam, (suo tamen damno edendam,)
 admouebat indies faces; insperato li-

cet, Irenis tamen sanguine, extingueendas solummodo.

Quidquid temporis à Cœlestium commercio Irene habebat reliquum, aut acui pingenti, aut euoluendis libris impendebat: illinc diuino cultui patranc ornatus politissimos, hinc non paruam, ut sexus, & illius ævi conditio ferebat, eruditionem sibi comparaens. Dabat Remigius operam, ut Virgo ab auunculo sibi commendata, indies proficiens, sodalibus deinde magistra haberi possit. Crescebat hinc puellæ in præceptorem, castissimo amore coniuncta reuerentia, familiaritatem semper ingenito pudori attemperans. Alio tamen iam Monachum affectus, transfacto penè biennio rapiebat: (mutatur, quippè facile in carnalem, amor pridem purissimus, ni præter castam mentem, cautam adhibeas,) & quos ignes suppositos doloso cineri, diu suppresserat, quasi non ultra potens cohibere, in apertum tandem prodire patitur: fædo incendio tam multis conuoluendis. O quam desipit, adhuc sub carne spirans quisquis è priscis ab hoc hoste victoriis, ad blandienti se credit

credit securitati ! rebellat peruvicax paſſim , & quam putares obrutam , ſentis grauiori pondere emergentem ; caden- tem eluctaris : ſed è caſu vires recupe- rat ; nulli non Herculi clauam excuf- fura. Includere in cœnobio ; ſcomma non euitabis : ætas iam fractior , asper ſaccus , cibus vilis , sobrius potus , du- rior lectus , preces affiduæ , Sacramen- torum frequentia , robur conciliarint in pugnam , pugnam non arcebunt: stat vnicè à benigniori numine victoria; cui tamen quisque deſpondeat , ni insulti- bus primis fortior obſtet : paruulaque adhuc titillantis voluptatis blandimen- ta , alliferit in petram. Gruum oua , non grues , impugnant Pigmæi callidi; ni Pigmæum te reputes , Giganti succu- bueris : imo occaſionis harpagantes vngues ni fugias , retineberis. In hoc prælio non tam decertat fælicior manu potens , quam pernix pedibus ; infe- quenti hosti non cedere , ſatis eſt glo- riæ : enormous temeritatis , aduerso pal- mam extorquendam præſumere. Per- ſtitit infœlix Remigius , quaſi erube- scens fugam , & ecce erubescendus perit. Quid iam non machinetur

imperante libidine, dæmone perur-
gente?

Loquax est affectus quiuis; sed in-
flammatus libidine, loquacissimus,
nullis non motibus, singulisque
membris in linguas efformatis; etiam
tacente ore, pupillæ clamant, & sub
contumaci silentio, amantem prodit
contractus repente rubor; gestus solu-
tior, gressus iam fractior, nunc solito
celerioribus, nunc subito suspensis gra-
dibus, confusus. Ingemisceret in hæc
verba Belisanda, quæ sub his signis, lo-
quacem olim se nouerat: suppresso ta-
men dolore, ne Dorothæ se prode-
ret, altius interim dolitura, conticuit:
ista, sic legens pergit. Poterat curio-
sior senioris habitus, & sub pannosâ
veste, exquisitæ munditiei importuni-
tas, Virginem admonere; ignorantia
tamen amorem, is sermo barbarus;
quodque nolebat esse, credere respuit,
malens se potius temerariæ suspicionis
damnare, quam incredibilis mona-
chum leuitatis. Nec yltra se Remigius
continuit, furore cæcus: profectusque
trepidantibus verbis vulnus, sollicita-
uit remedium. Exhorret insperatum
nefas

nefas Virgo : sibique , amari potuisse,
 culpam deputans , exposceret è vita
 pœnas , si liceret ; furénsque interim
 pudico rubore : abi,hinc,iñquit,morta-
 lium scelestissime ; sat infælicem mihi
 spiritum, ab auribus polluisti , non au-
 furus in tantum,ni leuius aliquid in mi-
 serâ prænotass'es , licet quidem frons
 isthæc effrons , quidquid promeruit.
 Caue tamen , Remigi, caue , ne iterum
 Paternæ domui, nedum conspectui no-
 stro te commiseris : senties , protérue
 senex , non interceptam Susannam, sed
 incusantem ; si redieris : Si quod cess'es,
 immutetur auunculus , abundè doctam
 narraueris : plus hodie de te didici,
 quam tot hucusque annis , fragilitatis
 humanæ , specimen , aucupata , claris-
 simum : Parentibus , sodalibúsque no-
 stris , fastidita potius studia denotaue-
 ro , quam te suspectum ; datura id san-
 ctissimo Cœnobio, ne saltem apud im-
 prudentes , ab alumno infametur de-
 genere , aliósque temerè commaculet
 Iudas vñus. Tunc pudore toruo, gestú-
 que penè viriliter minaci , deserit re-
 sponsuruin : qui raptim domum re-
 means , iam aliis , sed ab eodem dæ-

mone, incensus flammis, monstrum
meditatur, monstrosi tantum monachi,
horribiliori ingenio, cessurum.

At Irene commotum pudicè spiri-
tum, vultuque proditum, nec turbatæ
interim rationi obtemperantem, cela-
tura: in sacram gynæcei ædiculam, se
abstrudit: obferansque fores (quod sæ-
pè, longe tamen serenior solebat) an-
téque aram in genua se prouoluens, in
Crucifixi sponsi imaginem coniectis
oculis, hæret defixa diu, postquam
verò, quasi solutis in lachrymas, anxij
doloris nubibus, cor iam pacatum vi-
sum respirare: Heu mihi! inquit, in
hoc nata sum pulchrior, amor dulcissime,
vt visa, etiam studiosè incompta,
aut vitæ Principis, aut præceptoris con-
scientiæ sum venenum? nec id à te con-
sequar, tot iam acceptis aliis, longè
minus, vt in deformitatem horribilem
vertatur hæc species? displicuerit cre-
do, sponsa inuenusta, quasi in has nu-
gas feratur diuinus amor: Quid ergo
cessas? peribit miserè hinc infausti mo-
nachi anima, è cuius doctrina, hanc
meam tibi composui, vberius placitu-
ram? ah ne patere Domine, da saltem

hoc

hoc ancillulæ, & quam Britaldi corpus, sentiat Remigij spiritus, salutem; fœdatam senioris mentem, retro actæque vitæ, iacentia trophæa, & conculcatas virtutes, si senserim diutius, contabescam. At quanto, & tibi meo, glorioſius, & mihi tuæ lætius obuenerit; si vitæ huiuscem impendio, etiam per tormenta immaniter eripiendæ, procuretur remedium infælici? Rogantem vre, seca, iudex asperior, dummodò votis annuas suauissimus. Resipiscat Remigius te læsum dolens, nec mihi iam, quosuis pares cruciatus, dolendi venerint: Hæc æstuanti cordis affectu inculcans diu, protractis in noctem precibus, vultu iam serenitati restituto, sodales repetit, nemini unquam enormitatem euentus proditura. Interiin solitis curis, an Remigio optata pœnitentia succederet, additisque flectendo in clementiam numini, corporisculi afflictionibus seuerissimis, ægrius habere Virgo cernitur, insolitoque pallore genas inficere: nec id ingratum illi esset, quantumuis familiæ molestissimum: quasi sub hoc velo possent facile, intermisſa

missa studia , dari morbi tædio.

Grauior semper ab edito ruina : neque nisi in profundum Lucifer cadit. Ut nullum corpus pulchrius humano, sic fœdius nullum , ab obitu corrumpitur : funestius, quam astra cætera, patitur sol deliquium : neque altius vlla telarum , quam purpura , maculam bibit. E religionis culmine , id est , è perfectionis vitæ speculâ , præcipitem se dedit miser Remigius , iam inde extrema scelerum attinget ; nihil hæc norina capit non enorme. Recolebat secum insanè furens , prudenter furentis alumnæ , totuitatem , minaces animos , aspectus in perpetuum interdetos , ni prodi vellet ; nec interim sibi dari , sed cœnobio , silentij pietatem; non multum , si spretus licet amator , magister tamen olim , tot charus titulis , excusaretur à Virgine ; cur non sati , si Susannam se diceret , non intercep tam , quin se incusaturam insuper protestaretur ? inurbane , (ô quam delirat vetulus !) iamiam responsuro , cum aspectu , colloquium subtractum raptim ; omnia denique verborum , siue

D

putum,

nutuum, per summam contumeliam,
 nullamque prisorum meritorum reue-
 rentiam, ingesta sibi. Igitur commix-
 tas libidini, iam odij nutrit scintillas,
 quibus sensim in flamas correptis,
 (aut consumptâ, aut certè consopitâ
 luxuriâ,) totus exæstuans, saeuissimâ
 nocendi voluptate, scortandi turpissi-
 mam pensare tentat. Est hæc venerei
 amoris indoles detestanda; dum enim
 non rei dilectaæ sed sibi amat; despe-
 ßus facile vertitur in odium; vrit ipsi-
 sima membra, quæ ardebat; reptat
 crinibus, quos nuper sibi grata vincula
 commendabat; & cui paulo ante am-
 plexus, iam parat laqueos; libidini,
 atqne vindictæ medius semper. Nec ita
 sobrius oderat Remigius, vt veneno
 contentus, dolorum compendio, vitæ
 insidiaretur; famam Virginis lædere,
 sacrilegè mœcham prodere studet: nec
 tantum delatam Susaninam, sed insuper
 nullo effugio conuictam. Verbis igitur
 suis, quorumuisque calumniantium si
 admouerentur, diffidens, quasi nihil
 contra inueteratam modestissimæ puel-
 læ existimationem valituris: rem tra-
 Etare satagit, facilius subscripturam
 facinori,

facinori, & fœlicius. Id sedet impius,
 & quo diutiùs mente versat, placet se-
 curius ; dabit, inquit, condignas pœ-
 nas superbiens ingenium : quæque de
 virginitatis suspectæ arrogantia, cani
 capitis insultauit fragilitati, sub abie-
 etissimi scorti elogio, irridebitur; pro-
 uocét fortè ad conficta sua illa mira-
 cula, quibus noua Circe, dum percel-
 lit lasciuia, turpior sanat : miseris, eo
 fucorum, fascinet adolescentes : obdú-
 ruimus iam senes in has præstigias : nec
 stolidâ simplicitate Abbatis, cæteri la-
 boramus ; quin veneficam robustiori
 vlciscar venefico, quodque non valui
 Virgini, famæ vitium faciam.

Degebat non longè à Nabantia, mu-
 lierala, multis iam dolis magicis fa-
 mosa, neque semel deprehensis flagitiis
 punita ; hanc igitur per speciem ge-
 rendi, nescio quid domestici negotij,
 obtentâ à Prælato veniâ, adit Remi-
 gius : captataque opportunitate, ne cui
 cerneretur, vilem domunculam ingre-
 ditur, fœminæ vilioris. Obniguit ista
 ad Monachi ingressum, nihil minus
 cogitans, quam quod erat : timebat se
 profanis impiæ ab hospite religioso,

eoque celebrioris nominis, seuerissime
 arguendam: ille tamen pacatori ani-
 mo turbatam esse iubens, non eo ve-
 nisse monet, vt improbus reprehensor;
 sed vt supplex familiaris admitteretur;
 inde numeratâ in præsens pecuniolâ,
 spondet in futurum gratiam apud Prin-
 cipes; séque in obiecta, si fortè, pro-
 pugnatorem acerrimum deinceps: ma-
 gno spei ventosæ inani, pascens mise-
 ram. Recepit se tot blandimentis hi-
 lerior venefica; & mihi, inquit, plus
 quam satis est, Remigi, si te beniuolo
 fruar; hæc artis nostræ corona; si
 qualis tu es, aliquis limina hæc attin-
 gat; decorum ministerium probat, qui
 se eiusdem indigum protestatur; tu mo-
 do, quo tandem egeas, pro me, cætera
 amicissimis curis remitte; nostris. Ille
 tacito Virginis nomine, quid sedulus
 machinaretur, exponit; orat indu-
 striam, & sperato fœlicioris conami-
 nis euentui, vota multiplicat. Mitte,
 inquit, venefica anxietatem, breui
 ultra spem, optatis potitus: abscede
 tantum; nec enim sacra nostra, nisi
 eisdem initiatum mysteriis, admittunt
 spectatorem; nec adeò sic te iam nobis

addictum

addictum existimo, ut spreto profano
cætu, te nostro mystam roges; forsan
expertus, quæ possimus, admitti soli-
citabis, & consequeris, si diligens in-
sistas. Cras autem pharmacum à Do-
mino, (sic dæmonem appellant,) hac
nocte mihi parandum, tibi, tradide-
ro, quo frustra aliquid votis tuis præ-
sentius credideris Remigius aëtis gratiis
ob animum in se facilem, in vicinio-
ris vici hospitium, secedit regressurus
mane: & noctem interim spe, me-
tûque æstuans, dicit insomnem.

At Maga ad noctis conticinium re-
lictâ domo, locum inuij nemoris sibi
agnitum, frequente dæmonis col-
loquio abominabilem, ingreditur soli-
taria. Tunc laneis vittis, triplicique
colore variatis, Tiliam, (infælicem
scilicet arborem, & iam olim infamiâ
laborantem, nescias vnde, quasi ma-
gicis deuotam ministeriis,) ter præcin-
git, tèrque bacchanti motu circuit,
carmina insusurrans. Inde verbenas,
quas arentes secum detulerat, accendit:
& fune supplicij, quem nuper ab in-
fami palo detraxerat, succincta prius,
punitique latronis ossa seruata diu-

edentulis iam ginguis immaniter corrodens, rogum transilit; raucam perpetuò, & arcanam cantiunculam obmurmurans; nec adhuc voti compos, maiora meditatur: eiusdem probrosi pali malè sectas reliquias, bubonis plumas, oliuarum retrimenta, cereasque imagunculas ignibus iniiciens, despumante iam rabie ferocit sanguis. Nec infremuit diu, cum ecce sub incondito terræ mugitu, insano ventorum fragore marcescentibus penè arboreis, hærente vicino fluuiolo, & stellis densa caligine obscuratis, videndum se sub solita specie dæmon exhibet. Substitit intrepida fæmella, quasi communis rerum omnium pauore animosior; eo quippè audaciæ hæ tales deuenierunt, ut horrorem potius facere videantur inferno, quam pati inuicem. Ast ego, subdit turbata Belisanda, & Matronam trepidulè amplexans, etiam nunc absens horreo, Dorothæa; male pereant, quæ sexum nostrum his animis dedecorant. Semper ne cum beneficia audimus, fœminas incurremus? Sta bono animo mea hera, inquit, subridens Dorothæa; mitte puellarem timorem,

morem, ne obstrepat attendenti; reditque iterum. Inde humilem se prosterrens, repensque ad dæmonem accedit, adoratique sacrilegè sibi numinis, pedibus figit oscula: iussaque loqui commendans quanti fuerit, si in castris suis monachus militauerit: votorum indulgentiam sollicitat, quo allectus attrahatur facilius. Dæmon maiora se sperare suggestus, (euoluebat infensissimæ sibi Irenis euersionem, hinc fortè oborituram) nihil denegandum, ait, Remigio iam suo: opperiretur tantisper donum afferendum. Venefica vultu terræ impresso, clausisque oculis, ut mos ferebat, promissum spectabat, breuiuscumque intericto spatio, nec portatore notato, aliquid delatum sentit; tunc surgit, vitreumque sibi vasculum, liquore plenum, videt admotum: adoratique munere, sub dubia adhuc luce, in domumredit.

Non satis se ab itinere composuerat, cum ecce Monachus anxius aduentat, & si quid boni afferat, trepidus quærit. Illatoruâ adhuc, à Dæmonis commercio, hilaritate; Debes, inquit, non

parum Domino, mi Remigi, qui te non solum nouit, sed amat: facile (ni ingratus obstes) familiaribus fælicem adscripturus: iamque ingenti hoc dono, licet sub tantillo vasculo, te deuinciens. Non ouum ouo similius, quam liquor aquæ, si speciem attendas; neque tamen reapse ignis ab aqua magis alius. Sit quantumuis delicatula prolixioris fastidij puella, nihil exhorrebit: non solum formæ simplici, sed & odo-ri nulli, saporique euanido, creder de aqua; tantum fac hauriat, & prodigio-ſæ potioni, remitte cætera, venerabe-ris potentiam condientis; tunc aptissi-mo vindictæ genere, quod minabatur opprobrium, patietur misera, ciuibus deridenda. Remigius accepto dono, ni-mium quantum gaudens, multis verbis deuinctissimum se testari: nihil iam fore, quod officioso, anilis diligentia, ministerio, non senserit, se debere: vo-ta exitum, de potionis, vt sperabat, efficaciâ, sortirentur; tunc se exper-turam, quam non obliuioso hospiti, locaret operam. Deinde rei aptius oc-cultandæ, tractandis, quibusdam do-mesticis, per dies aliquos immoratus,

(c) 2007 Ministerio de Cultura tandem

tandem Cœnobium repetit : cygnæam
Sanctorum cateruam , non tam conce-
ptâ fuligine fœdaturus , quain coruus
fœdior denotandus, dum confertur; vn-
pique censorios numinis oculos in se
prouocans.

Huc lectio Belisandæ iucundissima
processerat , cum fastidituræ , allata
cæna , melioris gustûs saporem inter-
cepit: & fac inquit , mea Dorothea,
vt quam possimus citius, huc redeamus:
cruciabor interim , & nostro , & Ire-
nis euentui suspensa pariter. Dorothea
plicatæ chartæ lineam , vngue notans,
deposito codice, ministrat cœnaturæ.



PHILALLEIAE

LIBER II.

VRGEBAT interim per aliquot
dies Carolum, Ardericus, vt pa-
trio ritu , iniretur duellum. Rex , alio
modo rem tractari debere, nec ulterius
indulgendum mori barbaro : Iudicibus
iam creatis constare ex horto indicia;

D s sed

sed illa visa leuiora ; cùm tam aliò, no-
taruin interpretatio deduci possit , his
tamen , & maxiinè prompto animo ad
duellum (si liceret concedi) iam satis
apud gentes , vel leuem calumniatoris
vitasle suspicionem : pœnam debitam à
reis exigendam , quam si optaret extre-
mam, afferret robustius aliquid , si for-
tè reticuisse ; id non solum sibi tutum;
sed & Regi gratum fore. Verum Ar-
dericus , qui germanâ Caroli pietate,
furorem suum pascebat, Christiani Cæ-
sar is auctoritatem duello interpositam,
non iuri , in Religionem ; sed teneri-
tudini , deputabat in filiam : cùmque
aliunde nullo alio causam aggrauare
posset , & testes in id corrumgere vide-
ret imperuiū , quos & in Regem amor,
& fauor in Amelium , & in puellam
miseratio , neque vulgare , in se , retar-
daret periculum ; aliter extorquendum
duellum machinatur , efferatus scilicet
in rabiem , ne , non interceptus morte,
corriualis , regiis tandem potiretur nu-
ptiis ; quod & à mitiori Cæsar is inge-
nio , & à re ipsa , post conflatam Beli-
sandæ infamiam , futurum condolebat.
Fingit itaque inquirere se noua , accu-

sationi

sationi promouendæ , & dispositis in-
terim , per semitarum deuia, equis, qui-
bus breui Galliam euaderer ; inscriptos
libellos fidissimo tradidit, quos triduò,
postquam erumperet, nobilioribus Ur-
bis assigeret columnis ; litteras insu-
per , alteram inscriptam Carolo, Ame-
lio alteram : suggestâ ratione , & tem-
pore , quo tutius reddendæ . His iam
paratis , ducem , cuius liberæ custodiæ ,
commissus fuerat decipit improuidum;
multam , negotio suo , ponderis fere-
bat accessurum ; si ad vicum , millibus
yndecim distantem , abire daretur, ante
Auroram redituro : ibi schedulas esse
apud Matronam , quam morbus deti-
nebat in lecto , nec nisi certo vitæ di-
spendio , iter aggressuram : misisse iam
plures , & intimos , & nobilissimos ,
schedulas allatueros , nec tamen à ma-
trona impetrasse , constantissime asse-
rente , vnius tantum Arderici manibus
deponendas ; tanti rem esse : Imponeret
etiam callidissimo Ardericus , nedū ho-
mini candido, maxime, nullâ fugæ cau-
sâ , non temerè subeunte. Quid enim
fugeret Præfectus Prætorio, quem nul-
la sperabat pœna , etsi non probaret:

cuius honor , satis duelli negati ambitione tutus ; concessi , si fortè , haud dubiâ , ob ingens robur , coronandus victoriâ ? Ergo indulgetur optanti Arderico , qui relictis in cubiculo , pretiosissimis non paucis , quæ ex industriâ , custodi ostenderat , & commendarat suspicioni amouendæ , eâdem nocte erumpit , tribus tantum ex intimis , sibi adiunctis : per constituta spatha ; subdūsam familiam , recentibus equis sperantem , conducturus . At custos iam ad altum diem dilato reditu , dolos suspicatus , è suis quemdam indesignatum vicum expedit ; à quo paulo ante occatum , redeunte , & nihil inde referente ; audit insuper Arderici villam , non longè à vico celebrem , desertam esse , famulis , cum ingenti suppellectili , iussu Domini , nesciri , quo mutantibus . Ergo sibi consulens , nec expectatâ iustâ Cæsaris indignatione , ad alienos commigrat miser homo ; solitâ , ab Arderici commercio , exilijs miseriâ comparatâ .

Secundæ lucis exortu , peractâ iam penè Galliâ ab Arderico , ecce litteræ columnæ , chartis pendentibus , ad-

mouent transeuntes, accedunt inscij, vixque lectis, diffugiunt, cauentes, ne vel de aspectu, suspecti notarentur; sub alto iam sole, turmatim absque periculo, vndique concurritur, legitur in hæc verba libellus. Ardericus, iniuria Cæsaris, patrio duelli iure spoliatus, liberam Prouinciam appellat; & Ramburuillæ apud Lotharingos, te sperat, ô Ameli stuprum natæ Regiæ vindicaturus: armorum optione tibi facta. Tunc denuo populus Amelij sortem incusare, miserum condolere, qui peruicaci hosti, aut vitam erumpens debeat, aut detentus ludibrium. Non importunum duxi carmina ingerere, quibus suavis magis quam neruofus Poëta Amelij exemplo Aulicos, instituens Fortunæ, Inuidiæque vices, sic interim deplo- rauit.

*Spuma fulcabat, tumido, per marmo-
mora, rostro,*

*Nauis opum dives; resonant hinc car-
basa blandis.*

*Flatibus, hinc mites cernas Delphinis
in orbem*

*Plaudere fælici, dum è cœlis inuidet
Argo.*

Cum subditos glomerans nimbos, con-
flansque procellam
Eurus adest, miseram scopulis allidit;
et undis,

Quae olim secura, stupor, iam fracta,
dolorem

Commouet, instabilis sortis monumenta
relinquens.

Vernabat platanus, puri, pro margine,
rini,

Nymphaeum Dryadum requies, anium-
que voluptas,

Thesaurus veris speciosus; ar ignea,
diro

Fulmine, tela ruunt, dolor huius proster-
nitur arbor,

Quaque caput sibi nube tegi, paulo ante
videbat,

Cespise tecta iacet vili, nec cernitur
villi,

Pendula dum sestit ramo, varioque
colore,

Fasciculum florum simulat, solōgi e
volatu,

Vel cantu, se predicit avis; quam leniter
aures

Grata ferit, teneroque simus blanditur
amori!

Dum

Dum canit, & saltat, tunc aucupis arte
maligni,
Contigit obductam, visco, descendere
virgam.

Et tardis, celeres, laqueis amittere
motus,

Sera dolet, querulo, permutans, murmur,
cantum.

En trepido lapsu, fulvis deductus
arenis

Rinulus exurrit, plantis, qui vincula
nectens.

Vitreæ, dat soli speculum, speculoque
retentum

Solem alium, pratis, defesso nectaris
undas;

Hinc cœco, fœnæ forsan, deceptus
biatus,

Quà, sibi ~~numina~~ magis credit peragran-
da, repen^{te}

Absorptus per^t, areæ, scissis, glarea,
ripis.

Nanis, & arbor, atra, riuis, tibi sym-
bola dantur.

Nam mitis, dum blanda ratem, fert
aura fauoris,

Regia, crescentes bederas, firmare co-
lumna,

Dum subit, & fœlix (aulæ mortale ve-
nenum)

Invidiam calcas; tuisque in Principe
nidum

Ponis aus: fallax nec rino imponit
hiatus:

Tunc cuncta vident, rident tunc omnia,
Cæli,

Vertice summa feris, Misero fortuna
recedat,

Ah quoties solet infamis! Linentia
fata

Invidiam conflent, (bina hac nam numi-
na, semper

Visum, impacata consanguinitate li-
gari

Et bellare deas eternum, cernis ini-
quas)

Tunc hominum nosces, quantum est in
rebus inache.

• nimis constans duris mortalibus
error

Fortuna, Invidique vices, non ante ca-
nere!

Te veterum si nulla mouent elapsa re-
trorsum

Aspice, magna dabit, subitis, exempla
periclis,

Amelius,

*Amelius, tantum speculum, ni cacus
adibis.*

*Cogitur infelix, falso dum credit
amico,*

*Cedere vel fama, vel certa occumbere
morti:*

*Aspera iam queritur seru, subiisse do-
lorum,*

*Quæ sibi nulla forent, si mens non leua
fuerit.*

*Tanta, sub aurata patera, regit aula,
venena.*

Iam tunc ad fores Augusti cubiculi, expositam epistolam inscriptam Carolo, inuenerat Ludolphus; & agnitâ Arderici manu, nihil tunc præcius, aut fugæ, aut libellorum, quasi nuntio lapsam ex incuriâ, Cæsari detulerat: quæ sanctissimum Regem commouit hac sententiâ. Ardericus Carolo Regi, sanitatem. Huic timueramus olim, Cæsar, qui que Regio sanguine nitimus, dum nobis præponi viliores, dolebamus: audemus, detecto iam morbo illam tibi optare, quis enim, sibi constans, constupratorem natæ, seruare vellet? Honori itaque tuo consulimus, dum mentem malefico aliquo ingemi-

mus.

mus viciatam; ne pudicæ sobolis leno-
nem regium, cogamur erubescere. Dum
ergo tibi non redderis, monili, si Deo
placet, etiam fascinatus; redditurus
honorem Patriæ, tibi, mihi, (ne ca-
lumniator audiam,) non tam fugio,
quam abeo, calamistrati Paridis san-
guine, piaturus tam multa. Vale. Et
Principes absentis impudentiæ iacula
non euitant; imò, in hos potius, quo
verbera nequeunt, sœuius collineant
verba proscindentia. Sed Carolus, pa-
catis etiam tunc Regiis spiritibus, haud
immeritò, inquit, Ludolphe, qui tibi,
qui amicis' prudentibus, de impio Ar-
derici ingenio, non credidimus, iam
pœnas damus: at indulsimus consan-
guinitati, & male locatum robur æsti-
mauimus. Tu interim epistolam dissi-
mula, dum quid facto opus sit, expen-
damus attentius: nunc tantummodo
duplicandam Amelio custodiam, cura
sedulus: ne ardens iuuenis, & nutan-
tibus rebus nostris necessarius, infa-
famiam, quam putauerit incurriendam,
ni prodeat, (nec enim dubito rem perui-
catis hostis industriâ iam rescire,) vitâ
Arderico, immolandâ, pensare tentet.

Non diu , postquam vinctus Ame-
lius , quouis suorum commercio , iussu
Cæsar is , fuerat destitutus : aderat tan-
tum illi assignatus puer vnus è chario-
ribus , qui Domini , & corpus , & cu-
biculum curaret : ademptâ tamen pro-
deundi facultate , ne quid aut littera-
rum ab amicis , (quos innumeros de sua-
uissimâ indole parauerat sibi Amelius ,)
aut instrumentorum ad fugam , Do-
mino posset deferre . Hic ergo præ-
dicto manè , dum fenestræ seras aperit ,
quam decussatae ferrea virgæ munie-
bant ; notar per virgarum vacuum in-
fixam asseribus sagittam , cui colligata
epistola inhærebat ; ille , id familiario-
ris alicuius commentum interpretatus ,
Domino nuntiat , qui epistolam conci-
tatiùs resignatam , legit sub hoc teno-
re . Ardericus Amelio . Piissimus sacer-
tuus , id est , meretriculæ natæ , nouus
aquariolus , tibi timens , suscepto ritè
duello intersistit : Discedo igitur , ad
Ramberuillā te prouocans , iam colum-
nis Lutetiæ , iam vicinarum urbium pro-
scriptum parietibus . Tu si vir es , (quod
vellem ,) quo potueris consilio , sequere
prouocantem ; atque , ut aditurus tuam ,
exquisi-

exquisitissimis technis abuti soles: nunc
 saltem virili stratagemate rumpe custo-
 diam, honori consulturus; melius te-
 cum agetur, si mihi animam, quam si
 tuis, relinquas infamiam; aut quid
 vñquam sortiare gratius, quam Arde-
 rici magni dextrâ cecidisse? Age dum,
 viola mihi vulgò decus, dum pexo,
 vñcto, cincinnatulo congressus ridear;
 sed apud probos rerum æstimatores,
 non tam pari commissus, quam vilio-
 ris victimæ ferar iugulator: norunt
 non semper ad prouocantis gloriam,
 sed quandoque ad prouocati pœnam,
 institutum duellum. Vale. Exarsit fu-
 riato spiritu Amelius in hæc probra:
 inops consilij: duram custodiam incu-
 sat, fata duriora; dolere, puer, mo-
 nere, nihil apud bonos passurum, quem
 scirent, non ignaviā, sed vi, sed cu-
 stodiā, vinculis, & turri detineri mu-
 nitissimā; sed frustra; nulla concepti
 furoris stimulus hebetabant; atten-
 to, acuendis impensius, dolore
 fæuo.

Adibat non raro Leonida, Matrona
 nobilis, Præfecti tutri coniux, solitæ
 comitatis officio, Amelium: at tunc

longè post meridiem, eo etiam iactabundula ingreditur. Suscepserat hanc olim Methildis, è fonte Iastrico, & materna solicitudine, Ermaldo, viro inter Aulicos splendido, collocarat: asportabat Leonida, ab eadem Methildi, bina epistolia, sibi alterum, alterum Amelio; Leonidæ Methildis itiuenem commendabat: nihil sibi facturam gratius, quam si afflitti Principis curas releuaret. Amelio haec pauca: quæ ille tacitus collustrabat. Nascentur etiam Principes miseriis; at dum premeris, si quod leuamen est, non me adhuc tibi timueris subiratum; deferbuit detecto vulnere, indignatio, quo timeres augendam; id tibi notum volui, cætera coniectaueris. Vale. Credidit piissima Methildis, adolescenti, inter tot nubila, hoc lucis tenuioris indulgendum, ne acrius, de duplicata eadem die, custodiâ, commoueretur. At Amelius, ut erat non hebes, nouo etiam dolore oculatior: hinc sibi tentandum aliquid molitur; tunc exorrectâ fronte, indolem' palpans muliebrem; debes, inquit, domina, non parum [matronæ excellen-
tissimæ,

tissimæ, quæ mihi, tui vnius solummodo consilio, negotij nostri ardua tractanda præceperit; non exhibeo epistolium, quia quædam immiscet, quæ, (tuâ pace,) absque infidelitatis periculo, non potero; summa hæc est; discessisse Ardericum: meum esse insistere prouocanti; ne Belisandæ honor, ne sanguinis nostri decus, calumniis lacestum perierit; tibi industriam, qua id prosperè fiat, remittendam, à quâ prudenterissime in pietatem astutâ, nec vnguem deuiauerim; inculcat sæpè. Sed fusi credo, hæc tibi, tuo epistolio rescripscerit; tu mihi, ô domina, quæ iam decreueris, suggestas, velim, rescripturo; parato certè tuis ductibus obediens. Hæsit paululum Leonida; & mihi, inquit, tui curam vno verbo commendauit Methildis; iam tamen ex his capio, quid illa prudens, & subtilicens, inopinâ epistolâ, sibi velit; tu videris, quo te iuuare possim; Matris enim imperio sacraui iam pridem hunc animum. Respicientem fortunam amplexus iuuenis, rogit, vt in fundo canistri, quo asportanda cœnia, limas abscondat, & gradatos funes; sic fore,

ut absque sui suspicione, absque mariti noxâ; ambeso, fenestræ clathro, desiliret cum puerò. Tunc deductum sibi anulum tradidit, a niciissimo cùdam è sociis demittendum; qui non longè à turri expeditos equos, & necessarios pararet commeatus. Succesfere omnia ex voto: doluit euentum Methildis acerbissimè, ac stupidam Leonidæ pietatem, rem exponentis, non leuiter incusauit: id maximè cauens, ne serenum Belisandæ tunc animum apud Deum, ingens Amelij Arderico compoſiti, obnubilaret periculum; tenerioris adhuc virtutis affectibus, alienâ memoriâ interstrepente; vnde curauit sedulò, ne quid horum aucuparetur; vel leuissimè. Præceperat iam Carolus, re agnita, dispersas militum turbas, non solum viarum publica munituras; sed scrutaturas etiam montium abdita, semitarum secretiora: frustra tamen; Amelius enim, biduo, in sodalis fidissimi, villâ delitescens, disperserat interim famulos, qui turbis indagantibus imponerent, quasi alieni iactantes, incassum quæri, quem paulo ante viderant superantem iam penè fines Galli-

cos.

cos. Sic militibus vrbein repetentibus; ille liberâ iam, & occultiori semita, iter, personatus accelerat.

Ad nobilem iam vicum, vix septem millia distante à Nordlinga, (huic, in in vxoris dotem, accepto Amicus præ-erat,) peruererat Methodius; iam fidissimum caput, datis litteris, & ex-posito discrimine sodales commouerat in auxilium: ac tumultuariè domesticis rebus compositis, expedito paucorum clientium comitatu, in Galliam, pro-pperabat Amicus: cum Ardericus Ram-beruillæ superbiens, affixis libellis, scamineate designato tardantis Amelij insultabat ignauiae, inculpabili mora, timoribus, deputata. Applausebat iu-uentus Procerum, hominis arrogantiæ, eo se vnoquoque meliorem venditante, quo nouelli Martis lateri, quasi parti-cipando robori, adhæreret proximior. E Senatoribus nonnulli iam donis, iam promissis corrupti, multa superbienti palato condiebant; tentandas, si opus esset, veterum leges, conciliandum Vrbis fauorem: cogendum, si veniret, Amelium, certamini: denique mo-uenda omnia, vt Ardericus calumniæ noxam,

noxam (hanc ille inuidiae nuptiarum, odio corriualis, prætendebat) vitaret apertissimè.

Postridie in eamdem Vrbem cum sociis, ignarus rerum confluxerat Amicus; inde Lutetiam versus, festinatus commodius. Ingressum Vrbis portam, appensus de more, detinuit libellus; cuius perculsus vebis: ecquid hoc rei, exclamat, ô Méthodi? incurrimus Ardericum. Turbati omnes deliberando negotio, commeant in hospitium: vix ingressi, de re, fere omnium sermones, & garrulum nouarum vulgus occupante, redduntur certiores. Forte Arderici famulus eo inciderat; qui agnito Methodio, pauloque post intuitus Amicum, Amelium ipsissimum hunc esse non dubitans, Dominum adit præceps; inuenit solito festiuorem, accepto tunc à Lutetia præcone, Amelij paulo post venturi fugam nuntiante (præuerterat quippe nuntius Amelium, biduo scilicet latebris immoratum) imo adest iam Amelius, exclamat famulus; videlicet oculis cum Methodio suo, apud hospitem. Cumulauit iste lætitiam Arderici: qui utriusque non mediocre præ-

mium pollicitus: admissis vno, vel altero suorum, rectâ tendit in hospitium. Erat interim Amicus seniorem, & prudentem Methodum, de re consulens, an sistendum sibi, an breui commicandum, Amelio si forte, obuiaturis, quem, quâ, posset proditurum, præsumebant haud timere: in alterutrum non leuis ratio perurgebat. Cum ecce insperatus Ardericus, implens clamore domum, adstat sollicitis, & ô, venisti, inquit, mollissime mortalium, decoro nunc primo gesto clausurus vitam: Ergo, aut prande prius, veluti apud inferos existurus, aut si placet, hac eadem horâ properemus in caueam. Nouerat iam diu Amicus infanum Arderici furorem; hærebat in responso, frustra se Amicum, déque mirâ similitudine, delusum Ardericum, testaturus: id enim timoris technæ dandum: & Methodij collateronis societas, contrariæ præsumptioni militabat. Igitur nil aliud subit aptius, quam feram, qua modestia posset, ei curare tantisper. Difficilius negotium, ait, quam pro temeritate deliberandum: confluxisse turbam: inquietari publici ho-

spitij

spiti familiam : ius hospitis , immisso tumultu , fæde violatum. Discederent ab Urbe paululum , amotis extraneis arbitris , tantummodo familiaribus tuti , sub pari numero , ibi ventilato negotio , peragendo si forte duello , in Urbem redirent. Placuit Arderico ; nec breves , ait , viliori vitae inducias denegauero : aduocatis ergo suorum tribus , Amicum sequitur , cui totidem tantum socij adhærebant. Vbi in campi planitiem , (quæ latè dimittens prospectum , nihil insidiarum portendebat) conuenere : relicto vtrinque satellitio : femotum tantis per aduerarium , sic Amicus alloquitur.

Prodis , nescio , an innato robore , an præsumpto iure audacior , Arderice : at vtrinque scio deceptus. Excedis robore ; sed arte vinceris , sed excederis agilitate : pensantur prouocantis vires , dexteritate , quam nosti , prouocati. Do factum crimen , quod obiicis ; an ideo iure prouoces , quasi æmulus flagitio grauis , ipsi pariter , & gladio succubuerit ? falleris egregiè : grauior huc sceleribus accessisti , violasti , scilicet sanctissimis amicitiæ , atque naturæ le-

gibus conculcatis , commissum tibi se-
cretum , quod intimo claudendum pe-
ctore spoponderas : accusas non sancte
zelans; sed inuidus proterue, qui se tibi,
credidit amicum facilem : exponis in-
genti periculo sodalis vitam, honorem,
omnia, quæ proprio sanguine tutati de-
buisses : obnoxius ergo magis huc ve-
nisti. Si ergo pares certamini , tu ro-
bore , arte munitus hostis congressuri;
& aliunde innocentior iste ; quid non
timueris ? æquius ille , si duellum lice-
ret , prouocare te posset, inuidum, fœ-
difragum , arcani violatorem : & qui
sub humani iudice, causâ caderes, qua-
si aut hebetem , aut corruptum
spem diuinum. Retexe telam Arde-
rice : Amicum , amicè monentem au-
dis , quem solito similitudinis errore,
arbitraris Amelium : fortè hac pertran-
sij , Lutetiam cogitans , destituto so-
dali opem allaturus : saltem duello di-
uinâ lege prohibito renunties , & ad
æquiores iudices re delatâ, si tanta per-
uicacia est , tandem dirimamus litem,
ut par est, mitius. At Ardericus furenti
risu cachinnatus : O lepidum cap t, in-
quit, quam germanas connect s gerras:

noueram pridem te fæminam; linguæ
potius, quam dextræ committis pu-
gnas. Amicum te simulat, quasi mi-
tior in congerronem desæuirem, quem
iam diu pari fato conuoluere destina-
ram: sed vteruis tandem sis, alter in
altero, orbem, ab euirato spiritu, libe-
raturus, non totum horæ dimidium,
homo fueris.

Iam subitarium certamen, furoris
impotens tentabat Ardericus; cum Vr-
bis Proceres ab hospite admoniti, hós-
que subsequens, è plebe turba non me-
diocris, celeriori gressu obuiant de-
certaturis. En ^{vobis} intc ille,
quæ prædixeram nuper, Ramberuill-
lani optimi, egregium tandem iuueni
concertatorem, nunc togata tribuna-
lia appellantem, nunc sub Amici, æquè
puniendi, laruâ, dissimulari cupidum.
Venisti credo Galliæ nostræ propu-
dium, vt & fugâ, carceris fastidium; &
nugis, periculum euitares duelli; sed
incassum: nullo hic socero, nullâ ex-
pugnatione iuris propugnaberis; legi-
bus tibi parendum; aut mihi pugnain,
si negas: aut iugulum debes carnifizi,
fallus crimen. Tunc Procerum senior,

homo synceræ fidei, Bradaulis nomine,
 cui cæteri non parum deferre visi: ius-
 so comius, discedere Arderico, ad Ami-
 cum non longè à conuentu seuocatum,
 profert hæc pauca. Vellem, splendi-
 dissimè Princeps, prior Vibem nostram
 intrares prouocaturus, vt tibi potius,
 quam æmulo, consequendi auxiliij
 pondus ferretur vltro: nosti tamen hoc
 moris nostri esse, vt prouocanti vbiuis,
 & tunc maximè inclinemus gratiam,
 cum se nobis, aut honoris recuperan-
 di, aut purgandæ calumniatoris inui-
 diae, patronis adhibet. Inevitabile tibi
 supererit duellum, ni sub pudendâ no-
 xi confessione, publici serui ludibrio,
 (quod absit) amputaturi ceruices, ex-
 poni eligas. Sed quid ego Amelio, è
 vicina Gallia, ab edito, & sanguinis,
 & dignitatis, mores nostros præno-
 scenti; tamquam ab ultimo terrarum
 aduenæ, ista suggeram? Id vnum tibi
 audeo polliceri, nihil iniuriæ sub-
 struendum, quo æquè tutus procedas,
 ac si apud ipsissimos tuos Gallos de-
 certares; id tantummodo patiaris, opus
 est, vt carceri honorario (arctius alij
 apud nos duello subeundo teneri so-

lent) te credas custodiendum; donec æmulus diem, tu vero armorum genus certamini decernas; venisti obtemperatum; id leges ferunt. Amicus non fracto, sed sollicito corde Bradauim sequitur, actis prius gratiis, custodiz liberæ, fidei liberalis; nonnulla fore subdens, quæ ibi expendantur commodius. Plures, corrupti scilicet, adhaesere Arderico, suorum, exequendi duelli, gratulationes infaustas excipienti. Eodem vespere, præco Arderici nomine, Anico, indicit, horam sequentis diei quintam, certamini fixam, legitimam destinari. Vix ista progresso, ecce nouus à senatu, à iudicibus præco instat, legitimam Arderici provocacionem, omnibus fabis, pleno iudicio, comprobatam indicens: sibi consuleret, postridie designatâ horâ, aut proditurus in scamina, aut in locum rapiendus supplicij: certaminis excusariunculas, comperti criminis conscientiæ, legibus deputari.

Id vnicè torquebat Amici mentem, an sibi duellum inire, haud auerso numine liceret; nam periculi magnitudinem; imo & vitæ dispendium, inco-

lumi sodale , lucro adnumerabat. Se falso habitum Amelium testari (quod ante per Methodium , & socios inten- tarat) ludibrio videbat excipi , & ca- chinnis ; nec nisi meræ ignauiaæ , & ti- moris effugio deputari : ideo nonnisi frustra vltterius ingerendum. Sub tam anxiâ ergo solicitudine , rogar custo- dem suum , Sacerdotem sibi apprimè doctum , & probum , iubeat aduocan- dum : nec mora : adductus ille , & lit- teris , & virtute paratissimus. Huic sub tutissimo pœnitentiaæ sigillo , expiatis prius criminibus , cunctæ sua commit- tente ~~Amelius~~ erixè , soluat hæ- rentem animum ; de sodalis charitate , paratum se duello: at si non liceat mal- le carnificis destinati gladio caput sub- dere , famam vulgi ludibrio ; quam cha- rioris numinis , violatâ religione , pla- citis contraire. Mirabatur Sacerdos piū iuxta , & fortem spiritum adole- scens , cupidus non tam arcto silentio obligari , quo tanti pectoris generosi- tatem narraret orbi : , Eò inquit , res deuenit , dulcissime fili , vt duellum lici- citè possis aggredi ; imo sub duelli no- mine vitæ tuæ tutelam inculpatam: nec

teneris carnifici præbere iugulum, ne,
cum impio Arderico, manus conseras.
Cæcis iudicibus, ad duellum cogenti-
bus, neque errorem formæ perscrutan-
tibus, culpa deferenda; id solummodo
publicè testaberis iam adductus, id cor-
de recoles tacito, tibi non tam æmuli,
quantumuis peruicacis, sanguini, quam
proprio tutamini, inhiatum: spretâ in-
super armorum optione tibi commissâ,
ut nunc es, palliatus, & gladio accin-
ctus, vocatus prodi: tutior sic proce-
des, nec duelli conditionibus indul-
gens: & aliunde dexteritate tuâ, iner-
mi pariter hoiti, facilius intultaturus:
de cætero perge securus, aut insolito
ardore entheus, me fallit anifitus, atq;
vinces: auspice Deo militas; dabit im-
pietatis pœnas Ardericus.

Sequenti die, vix operante Sacer-
dote, cœlestis alimoniæ epulo recrea-
tur Amicus: cum ad carceris fores ad-
sunt designati iudices certaminis, vrbis
Optimates, plebs innumera, confli-
ctum in caueam deducturi; at ubi
gladio tantum accinctum cernunt, dan-
tes id arrogantiæ iuuenili, admonent
Ardericum pari tenore procedat decer-

taturus. Iam caueæ commissis, excutuntur sedulo vestes, ne quid dolosæ celarent armaturæ gladij, ne alter excedat, normæ solitæ cominensurantur. Tunc, concepto, de more, iurejurando, testatur Ardericus prior, crimen factum, non fictum ænulo, idque ritè, obiecisse, nec erubescit impudenti linguae subscribere impius calamus, obsignaque infandum facinus, gemma perfida. E contra Amicus, elatâ, quâ valuit voce, iurat in hæc verba cautus. Ipse, qui adsum, neque Regem venerabilem iniuria affeci, neque aut stupro Belisandam, aut spiritum hunc noxa violavi. Si mentior, si prudens, sciens ve fallo, Deus me perdat, hoste triumphatore. Conciliarat iste iam sibi populi fauorem, ingenti pulcherrimæ speciei maiestate; nec paucos etiam mouerat à Proceribus; qui conceptâ denuò innocentiae obtestatione iam commoti, faustis iuuenē precationibus, votis anxiis, vietoriæ commendabant: fremente interim cum sociis Arderico. Tandem utroque sic à iudicibus, in unicem composito, ut æquo situ, æquo sole, dimicaretur: secedit paululum

Ardericus adinouens brachio pallium,
 laxatoque ferro irruit in hostem: hic
 è contra distingens pariter gladium,
 obiectus etiam pallio, dexter euitat
 ictum. Sicque paulisper velitans, haud
 velitantis Arderici furorem eludit:
 dum verò se expositum manifesto di-
 scrimini agnoscit, nec sub incul-
 patæ tutelæ moderamine tutum, nisi
 peruicacis nece; at, inquit, Deum
 testor, non tam tibi perdendo, quam
 conseruando mihi, iam hinc incumbi:
 Sic indignatus iuste, pugnans ex æquo,
 id prius curat, ut hostis oculi in sollem
 cogantur, aduersis radius hebetandi,
 & agilis consequitur: furente interim
 Arderico, & sagacem hostis induitriam,
 amotis dexterius ictibus, tuò insilien-
 tis, agnoscente iam tardius. Accende-
 rat certamen missus vtrique sanguis,
 sed non ab immo; pugnatum ad scini-
 horam, alterius robur, dexteritate al-
 terius defatigante. Tandem furore cæ-
 cus detexit Ardericus latus, ex sim à ca-
 pite Amicum percussurus; quem iste
 decretorio vulnera aggressus punctim,
 capulo tenus, in viscera gladium ali-
 gens, prostrat infelicem. Ardericus

atroci gemitu lapsus, terram mordens,
 & extremam lucis usuram, errantibus
 captans oculis, sub paucis singultibus
 indignabundus expirat. Tunc eius fa-
 muli, quos crederes gratulantes, sic ira
 hominis impotens, arrogans inge-
 nium, etiam domesticis, odio fuerat,) ob
 obuelato cadauere discedunt, nemine
 Ramberuillanorum adhærente, quasi
 eodem ictu, & Arderici vita, & emptus
 nuper applaudentium affectus interiret.
 Methodius cum sociis, victoris genibus
 profusus, tumultuariis gratiis, fœlicio-
 rem tant⁹ rei euentum, propitio cœlo
 imputant. Annus iubitis, & lætitiae ob
 victoriam, & doloris, ob damnataim
 infautissimi hostis animam, motibus
 medius, ligato leuiori vulnere, sic
 gratias numini reddebat; vt piè trepi-
 dus occisionem excusaret necessariam,
 conscientia contestatus. Iam tunc Brà-
 daulis, ali⁹ que non pauci, meris, id
 quod euenerat, insomniis, id est, for-
 tunæ ludibriis deputantes, victorem
 recreandum perhumaniter cogebant in
 urbem: ille grata animi significacione
 se excusare: esse aliquid, vnde ocyus
 virgetetur

vrgeretur in Parisios : nec laborem
fuisse diutinum , nec vulnus periculo-
sum : adhuc satis diei superesse millia-
ribus aliquot consciendis ; nec prodi-
gendum tempus , cuius vel breuiora
puncta , venirent tunc rei suæ , pretio-
sissima : Nimirum timebat ne immo-
ranti superueniret Amelius , recogni-
tóque vtroque , exitus scenæ , quem
meditabatur , interturbaretur. Igitur
relictâ Ramberuillâ , iter capessunt ,
maturéque rem inuicem consulentibus ,
id visum aptius , vt ad confines Galliæ
properarent dispersi , Amelium , quáque
veniret , exceptu.

Interiecto biduo , Lotharingam di-
tionem ingressus iam Amelius , qui que
tantummodo sociis adhibitis , & ne cui
obuio nosceretur , personatus : notar
ex aduerso pullatam equitum cateruam ,
pullato pariter currui circumfusam ,
cui se , equo celerius concitato , admo-
uens , & quid sibi , funebris pompa
velit , scissitatus , audit cadauer Ar-
derici odoribus conditum , paulo ante ,
ab Amelio interfecti , in Galliam ad
consanguineum Aldelinum deportari:
substitit insperato nuntio vmbatilibus

incar

incurrisse laruis, sibi visus: & vnde
 inquit, victor iam Amelius, quem scio
 non dum eò commecasse! illi subtristi,
 risu incedere, nec dignati responsum,
 properare. Sed per Deum, vrget Ame-
 lius , apprehensis cuiusdam habenis,
 clarius aliquid , (tantilla mora est ,) de
 inopino euentu protuleris amice viator:
 habeo certè quædam ad Ardericum,
 Ramberuillæ vt fertur , prouocato
 Amelio insultastem. At herclè , re-
 spondet fastidiosus , viuo desperaueris:
 Si quid occiso vtiliter insusurrandum
 feretro te adhibeas , nec plura : Séque,
 ab Amelio expncans, procedentes com-
 militones celer subsequitur. Iam qui-
 dam ~~et~~ satellitibus Amelij, non paucis,
 à militari Arderici familia, Lutetiæ
 sibi visos recognouerat , hærentique
 Domino , suggesterit prudenter , an forte
 Amicus , ea necessariò pertransitus,
 duellum auspiciis felicioribus confe-
 cisset : equidem , inquit , Amelius, ne-
 que id nouum haberem; egreg' æ Amici
 fidei , satis congruum , ni eiusdem ad-
 dict. m Deo pectus , proh. bito duello
 videretur obstare. Vt cumque tamen sit,
 capio omen , quo ab Arderico vindic-

etiam, si minus sumptam, sperem tamen
prosperiori fortunâ sumendam: perga-
mus seduli è tanto labyrintho, ocyus
explicandi.

Vix dum milliaribus septem peractis,
ecce Amicus obuius, Methodio, pau-
cisque aliis incedebat admotis, quo à
longè agnito, deposita persona, incla-
mat Amelius. O faustissimum occur-
sum! teneo te, mortalium charissime,
substituerat familiari sono perceptæ vo-
cis percussus, aliunde Amicus: & te-
neo te, ait, Ameli, diu suspiratum.
Tunc ab equis delapsi mutuis comple-
xibus haud breui mora, nascunt im-
plicati, nullo verbo, sed multo corde
~~in~~icem colloquentes. Inde breviter,
re, ut erat, expositâ, è via publicâ, se-
ceditur in syluam: dumque fatigati
equi laxatis frænis prato herbido di-
mittuntur: Methodio interim Amelij
sociis, priscis, scilicet, familiaribus,
euentum fœlicissimum fusiū enarran-
te: Amelius ad Amicum, (quem seor-
fim sub scenâ frondium natuâ, abdu-
xerat ad concessum,) non benè dissimu-
latis lachrymis, prodente verecundiam
rubore, sic exorsus. Non est animus,

Amice

Amice fidelissime, leuitatis meæ apud
 te excusatiunculas contexere : non
 si quæ forent, in tantum frons hæc
 auderet obdurari, neque adeò ab-
 iectè de te credo, qui solum excu-
 fabili parares veniam, dedimus pœ-
 nas vterque : fusō sanguine, mihi
 Ardericus, ego tibi, fusō hoc
 pudore; ille commissi arcani vio-
 lator prodigus : committendi ego,
 peruicax occultator, qui, quām te
 contrahendæ noxæ desperaram par-
 ticipem, tam contractæ iam, re-
 medium, sperare deberem. Serus
 tandem agnito nideantem, quem
 præseruantem mauelle potuisse. Ad-
 uenit tamquam è machina
 men, tollendo hosti : adhuc pla-
 cando Cæsari opem desidero : insi-
 ste felix incepto : faustius aliquid,
 res nostra, sub tuis ominatur auf-
 piciis : Ioue tuo, Saturnus noster
 venerit temperandus : vt eo miser
 iam videar cecidisse, quo te au-
 spice erigar fælicior : fecisses mi-
 nus, Amice, si deplorato nondum
 negotio, aduocareris. Tunc male re-
 pressæ

pressæ lachrymæ , aduocato singul-
tu, verba turbant.

Ad hæc Amicus , complicatâ fo-
dalis dextrâ nondum , inquit , Ameli ,
te prisco cordi , in integrum cre-
diderim restitutum , qui tam mul-
tis commouendam mihi satagis pie-
tatem : tibi etiam tali , me in-
fensum existimasse , læsisse fuit : in
culpam , non in hoñinem (ni for-
tè mentis impos) inuehi potui : hu-
ius iam pœnitens , dubites sodalem ?
Ah nefas ! spiro tibi , imo te , Ame-
li suauissime , quem , vili emerim
saluum , impenso capite . ~~Cad cum~~
demissis logis , aggrediamur . Hinc
iam in Lutetiam nobis redeundum ,
~~te~~ alicubi tutius occultato , ego
tuo nomine , vincula subitutus ;
si concepto piissimo dolo , quem
ab egressu domus meditor , respon-
det numen benignius , liberaberis :
si quid aliud imperet , nihil chari-
tati mutuæ gratius peregero , nihil
amicitiæ nostræ congruentius , quam
vitam tibi seruare , vilioris nostræ im-
pendio . Neque inde Iudicibus scan-
dalum

dalum aduenero, quasi pro Reo, quem
 iustè possent, innoxium adigantur, ini-
 què plectere : quippe ipsissimum me
 Amelium arbitrantes quam reapse cha-
 ritati victimam immolauerint: Iustitiae,
 affectu syncerissimo imputabunt. Iam,
 quod aliunde obstatre videtur, ne præ-
 dicto dolo inuitos in mei occisionem,
 & ab ignorantia traherem inuolunta-
 rios : inde amouetur : quia cum ex ad-
 ductis, quæ solum probantur, indiciis,
 non possint te iuridicè reci tradere : si
 tamen iniustè contendant, iam inno-
 cens, pro innocentे, quæ est germana
~~charitas in pulchro Prohibeat id Deus,~~
 responder turbatè Amelius: neque ita
 impius dego, vt vel ex animo verba
 prolatā dubitem, vel patiar adimpē-
 da ; sed hoc vno me tibi dissonum pa-
 tere ; caue contendas ultra, quod si in-
 fistas, inclamantem me, Cæsar audiat,
 necesse est, qui que sis, qui que fuerim
 prodcentem. Quid impiam in me, in
 tuos comminisceris pietatem ? Egregiè
 mihi sanè sonri libero, te insonte per-
 eunte, Orbis applauserit : pulchrè te
 mihi arbitraris consulere, cui dempto
 breuissimæ mortis horrore, æternam

conciliari infamiam , non præuideris:
 tentas ne an insanierim Amice ? Ve-
 rum tamen memineris , ait Amicus, au-
 spiciis , vt dixti, meis , negotium pera-
 gendum : ratum hoc esto : ego vero
 non aliunde auspicaturus. Nescis Ame-
 li, nescis , quam fidei nostræ derogas,
 dum resistis: credis te pereunte, mihi in
 posterum, præter prolixiorem mortem,
 quid esse reliquum ? Certè mitius me-
 cum agitur , si in me vno , hac animâ
 defungar , quam si in utroque. Sed
 Deus meliora : fælicius aliquid insi-
 nuat cor præsagiens : hinc multis ad-
 ditis , horrentem ~~sodalem~~ ^{inimicam}
 Etia pia , extorto adhuc consensu trepi-
 dantem ; deinde reficiendis viribus ab
~~lunæ~~ ^{se}; & vulneri Amici (sub æstiuis
 ardoribus , exasperato tantisper) con-
 fouendo , ad vicinioris vici hospitium
 diuertentes , diemque ibi immorati per
 occultiores semitas urbem repetunt.

Extruxerat nuper ad tertium à Lu-
 tetia lapidem , Carolus in Catholicæ
 pietatis , in regalis animi specimen,
 Cœnobium nobilissimum : vtque cele-
 rius , & magnificentius opus cresceret,
 Amico curia mandauit ; qui commo-
 dius ,

dius, & præfectus gazis, & religioni
addictus impendia ministraret: iste
non toto biennij spatio, superbissimæ
moli, & à fundamentis erectæ impo-
suit summa fastigia, quibus, improbè
suffectorum sæculum putasses: petita
è diuerso orbe varij coloris marmora
in statuas, non tam poliri, quam mira
artificum industriâ, animari visa. Ar-
gentum, aurum, geminæ, byssina,
serica sacro cultui liberalissimè cumu-
lantur. Tandem Monachis, in sola-
tium, Bibliotheca, egregiis volumini-
bus referta: Deinde syluæ, pomaria,
~~honi~~ fæces erucuntur. Deuinxe-
rat sibi Amicus piissimos sacræ illius
~~familia~~ animos, tot officiis; vnde
quotidie post Cæsarem, statis preciis,
Deo commendatum: Amicum etiam
votorum participem habebant, haud
vulgariter. Huc ergo datis litteris præ-
mittunt adiuratos famulos, qui sub
alto tanti pacti silentio, apud pruden-
tissimum Abbatem curarent Amelio la-
tebras tutiores, sed sub Amici nomine,
occultando.

Fluctuabat interim Carolus curis de-
cumanis, iam tunc futuro quo quis Ame-

Iij erientu, commotus pariter: nam vi-
ctum, conflata infamia, consequere-
tur perpetuo: at carceris violatio, etiam
victorem fugaret necessariò: fortè ta-
men Pontificis, & vicinorum Regum,
ad quos confugeret, gratia, veniam
captaturus. Sed quid si iuuenis, facilem
sibi fastidiret Belisandam, & vitandas
pœnas, prætenderet, tædio nuptia-
rum? Annuere; Rogantibus Principi-
bus, licet rogare foret, vt cumque ta-
men, maiestatis opprobrium deaura-
bat: sed renuentem generum ambire,
(quod tamen, si res eò adigeretur, fa-
ciendum,) que canum accuto fuco
dedecus obuelaret? O in quos, inquit,
submurmurans, Parentum ætas, cuam
in palatiis, editur proles fœminea!
Hæc Cæsari euoluenti, adstat Lodul-
phus trepidus, & Arderici cadauer de-
latum nuntiat: nec sibi plura, nisi
quod pullatus foris Aldelmus, (hæse-
rat occiso ille, arctiori necessitudine,)
adeundi Domini copiam obsecraret
submissè. Indulsit Carolus, pio nu-
mini gratias deferens tacite, quod non
iam ab utroque latere afflcta mens
quateretur: leuius in alteram tantum

partem impelli nauim , Amelioque vi-
store decentius , honori natæ , consul-
tum iri . Confluunt interim purpurati ,
& quique Regis conspectu non habe-
bantur indigni : omnes ab Aldelmi
ore , (qui iam post Regiæ osculum
dextræ , dicturus surrexerat ,) pendent
defixi , fauore tacito , victori fœliciter
Amelio applaudentes . Aldelmus post-
quam prolixius , nec tamen inde in-
gratus audientibus , descriptsit pugnam ,
& victoris modestiam commendauit :
eo se venisse , subdit , vt à piissimo Im-
peratore . ius sepulchri , (quod à maio-
ribus ; ad Regij ipseñoris æmulatio-
nem , ad optimatum despectum , Lu-
teria mirabatur celeberrimum ,) in
fausti roboris iuueni impetraret ; pu-
tasse feruidè magis , quam prudenter
asserendo Regio honori , Amelium in-
cusandum , contractaque calumniæ
notâ se fœ datum , nisi duello , malè
vulgò acceptam probaret accusatio-
nem ; ideo erupisse . Ergo , esto in vi-
uum , (nam insanæ epistolæ proteruiam ,
præteribat caatus ,) illa acrius decer-
tarent , & merito ; iam defuncto he-
bescere ; necesse fore , Non hominis ,

non Regis, nedum humanissimi Caroli
esse, ultra mortem sœuire: ipsum Ame-
lium, & iuuenem, & ardente peper-
cisse cadaueri: non charitate solum,
& impensâ, malignanti licet, nobili-
tamen aduersario, reuerentiâ, sed simi-
lium accidentium metu prouido, &
horrore, communium, fortuitorum,
religioso: è bestiis etiam, exemplo pio,
formicas aduocabat: incusato lupo-
rum ingenio, in consortia cadauera
insuper sœuientium: tandem, inquit,
si inhonorum corpus abiiciendum de-
creueris, me consanguineo imponam
velut tumulum. ad aero
clamore feras, satiandas tandem, duo-
is cadaueribus infepultis. Mout ad-
stantas lachrymas Aldelmus, apud
piissimum Principem, facile voti com-
pos, dummodo res ad Pontificem de-
ferreretur.

Vbi recessit, tunc publico fauentium
plausu, Amelij felicitas extollitur,
fuga excusatur: nisi quod Caroli ma-
iestas, dissimulantis lætitiam victoriæ,
commotos iamiam, in preces, retar-
dabat. Ludolphus tamen, quem & ca-
nities, & gratia apud Imperatorem,

altius

altius commendabant: hoc vnum, inquit, asseram apud te, Domine, nihil facilitate comi, Regibus pretiosius: inde te reuerenter cæteris maiorem suspicimus, quia prudenter iudicamus meliorem: detulit tibi fortuna coronam hæreditariam; cui, etiam liberam si forte, suffragiis nostris, consilium detulisset: Debes itaque te tuis, non tam regem, quam regem iucundissimum. Quod si nec id imputare possimus; debetur quippe tibi, quantus est amor noster; at certè debes regiæ comitati, quidquid preces nostræ sollici-

tem. Arderici calumnia, miseri iam piata sanguine, famam puellæ regiæ restituit: vna est Amelius fuga, quæ, veniam retardatur, videri possit; at non deerunt viri doctissimi, hique probi, qui iuuenis ardorem vt cumque putent excusandum: dant facile, indagandæ veritati, duellum ineptissimum: at propulsandæ calumniæ, vnde honor, vnde vita pericitetur, fortasse sub certis circumstantiis licitum videntur conniuere: certè tenorem, quem obseruasse, dicitur Amelius, non excusarit solum, sed etiam commendarit

ipsissimus

ipsissimus Alcuinus. Violauit carcerem, fateor, sed non lædendo Regi, credidit, violato sibi honori, non aliter consulendum. Sed poterat liberato iuris sui pondere, orare prodeundi veniam: vidi duplicatam custodiam, timuit subiratum: ætas, ardor, infamiæ dolor, celerius commouerunt. Esto tamen inexcusabilis infaustus adolescens; indulge populo, debitas, reo, pœnas: facile vnius audacia, tot supplicum obsequio dissimulatur. Erant ista simulantι adhuc, indignationem, Carolo, non ingrata: verū, ac si tantisper indelectatus, S. pnc,
 quid amanti populo debeat, Princeps redimans: nunquam tamen abdulat, rebet., dixeris indultam prudenter veniam: coniaceat prostratis patronis, reus, necesse est, frustra promerituris, proteruia interim eiusdem demerente. Deprecanti insuper, adhuc, de exemplo publico, obstant non paúca; sub acerbâ quandoque in vnum pietate, multorum recrudescent vulnera; quos similis impunitatis spes, obarmet in sancta. Tunc relictis haud desperantibus secessit: qui Ludolphi prudentiâ commendatâ,

Amelio ominabantur iam quid fau-
stius.

Eodem die, cum iam sub dubiâ lu-
ce, turris claudendum ostium, præci-
peret Ermaldus: ecce puer, quem secum
abduxerat Amelius, aduentare Domi-
num nuntiat, rogaréque, ut paululum
aperto ostio speretur, (in prohibitis
enim, nisi sub claro sole, ianuam ape-
riri,) statim offusis tenebris, accessu-
rus. Stupet Ermaldus nuntium inspera-
tum: admisso tamen obside tutus, ad-
hibita prius militari custodiâ, ventu-
rum opperitur. Amicus, (Amelio in-
terim eam Dœnobij abdito,
occultatis,) vix dum peracta hora,
iud Amelij nomine, adornatæ scer-
personam impleturus, accedit: & par-
ces, inquit, Ermalde fugæ nostræ, non
tam violando tibi admissæ, quam de-
cori tuendo; si quid delinquimus à de-
nuò vinculis tradito, pœnas exegeris.
Ille comis, nihil esse subdit, cur hoc
nomine excusaretur: Scire quid iuuen-
tus ardens sub honoris stimulis pati so-
lita: nil deinceps futurum, (seruatâ in
Regem fide, quod hospitis potius,
quam vindicti, saluti, non præstiterit;

cum id æquissimum, ut viri clariores, sub ope mutua, in dolem probent, & per auxiliorum gratas vices, in altero quisque asserat, quod pro se timet. Egit Amicus gratias, affectus initioris, nouam propensi animi voluntatem exosculatus, cuius iam pridem candorem expertus fuerat. Tunc obliterato ostio, conscenditur: Dumque vir, apparando cubiculo, instat ministris, iam Leonida hospitem exceptura occurrerat, ac facete subridens: Vincula, inquir, Prin- ceps optimè, robustiora paremus, ne- cesse est; præcauebimus caute- rum elabaris. Amicus, (quem probè de ingenuo dolo instruxerat ~~Codalis~~), ac, ~~erit~~, feram libenter, Matrona nobilissima, ni superuacanea duxeris captiuo, qui vltro, spretâ libertate, quam recuperarat, dominos repetit. Inde post oppiparam, licet subitariam cœnam, longam de Arderici nece, inscenentes confabulationem, sedant quieti. Manè, rem Carolo deferendam, monet Amicus, & scriptum epistolium, (quod ab Amelij manu detulerat,) tradit Ernaldo: quo properè in Lutetiam abeunte; rogar Leonidam Amicus,

ut Methildi, quod, serus licet, rescribit, deferatur. Leonida festiuè comis, videris, ait, ne nouos miseræ fucos machineris: iam satis nouercalia penè matris dictoria passæ, stupidam pietatem insimulantis. Benè habet, respondit Amicus, secura degis, ô domina, tantum caue, ne limas iterum porrigas, néve gradatos fune cœna dissimulet. Ergo aliud etiam ab Amelio epistolium, puero ignaro, quid ferret, commendatur, Methildi adsportandum: prudenter quippe id cauerant, ambiguam enim miraculum similitudinem, dissimilis tantummodo, characterum, pictura discriminabat.

Ingressus aulam Ercoleus, & c' quibusvis Amelij redditum nuntians, in diuersas sententias Aulicos distrahit; hi incusare iuuenis temeritatem, qui nondum sub certa venia, periculosa causæ vltrò se implicit; alij nihil prudenter fieri potuisse; hoc sole, calumiae tenebras euaneescere: iam nemini, stupri reum habendum, nisi te mere: qui securus de innocentia, ad iudices sponte properaret intrepidus, plus liberali redditu gratiæ apud Imperatorem,

rato rem, sibi conflandum, quam decorâ fugâ, iræ sibi conciliauerat. Carolus, (cui nullus tragœdiæ tantæ exitus poterat obuenire faustior,) admisso Ernaldo, & ex industria, adhibitis quique aderant, purpuratis: adhuc sub seueriori larua maiestatis, epistolam resignari iubet; quam, Ludolphus recitat, in hæc verba. Amelius Domino. Habes sanctissime Imperator, animo magis, quam corpore vincitum tuum, discesserat certè, non fugerat, qui tibi redit: nec sibi, præsens timet à calunnia, quem, solius fugæ suspicio, sic torserat absentem: ut si quis libertate exultet vinculis, Domino gravioribus: cætera tu prouideris. Vale.

~~Mixtis variis~~, epistolæ summisionem, commendantibus: Carolus Ernaldum admonet, tantummodo, ne solitâ incuriâ turrim custodiat: de reliquo consulendum: fateri tamen grauissimam Amelij causam, visam, hoc vno gesto, vt cumque reueari: multa tamen adhuc discutienda superesse. Discedente Cæsare, plurimi Optimatum, multis Ernaldum interpellare, multa committere, quæ suis verbis deferret ad

Amelium; fausta omnia portendi, spem
foueret, singulos sibi, qua arte possint,
patronos apparari. Huc syncerus certè
in Amelium amor impellebat, sed &
iste non leuiter inde stimulatus, quod
eò rem deuenisse iam videbant, ut Re-
gis generum merito augurarentur.

Hilari iam spatio, per palatium, ru-
more, Methildim, dissimulati Amici,
epistola inueni; quam amotis arbitris,
trepidō gaudio resignatam, legit sub
hoc renore. Amelius Methildi. Serus
rescribo, at puro non ingratus: habet
iam pieras tua, hoc nostro reditu, quod
~~lucis negotio~~ non solum optet, sed
prætendat: quæ ergo benignitatem in-
dulserat desperatis; rebus iam meliori-
bus, adhibe diligentiam. ~~Vix~~
Methildis captatâ opportunitate, se-
quenti die, aduocat Alcuinum (cum
quo, iam sæpè rerum conscio disserue-
rat) vrgendum monet Cæsarem piis
rationibus: degere periculosè alum-
nam, non solum pulchritudine lachry-
mis corruptâ, sed & curis, salute vitiatâ;
cui ad illum usque diem, vix aliquid le-
uando dolori; sed tantummodo amo-
uendæ desperationi: instillatum. Mi-
ruin,

rum , inquit , modestissimè vrbanus Alcuinus , si Methildis virili penè spiritui , fœmineum etiam aliquid non immisceret : ardor præproperus, intempestiuā celeritas fœminam produnt; tempera affectum domina , negotio confouendo ; acerbus ab arbore fructus tanrummodo puerili , aut muliebri palato , non ingratus ; nec nisi mitia poma , viris ad gussum. Satius duco , si , iam affulgente hac luce , alumnam plenâ spe recrees , afflictam erigas : quam importuno feruore liti faueas : attendit in hanc rem orbis , ô Methildi , apud quem Cæsar's maiestas traducitur , si feit inat. Ego quain primū Pontifici rescripsero , vicos Principes ,

~~et passere purpuratis sollicitant in~~
idem : hortum legatis , idque lente , veniam cum nuptiis , pariter indulgenda. Annuit , subridens Matrona , & mirum etiam , inquit , si Methildis è colo , & fusō , non eamdem rerum notitiam eberit , quam è tot libris Alcuinus ; vna est , ferunt , charissime Pater , Minerua nostra ; sed quæ aliter telarum pectini , aliter Doctorum calamo adspiret. Tamen , suggerit iam abiens Alcuinus ,

vtri adspirationi, eruditiusculam hanec
debeas, cogitaueris; ut quidquid ultra
feminam consequeris, roborando in
solidiores virtutes, animo impendas.
Methildis prudentissimi viri monito,
adiens Belisandam, exhortationi iam
fronte, suauius habere iubet: sperare se,
neque temere, longè quam putaret
quis, faustius negotium processurum:
& certè indigebat mitiori hoc verbo
Belisanda, quam curæ morsu tacito
penè confecerant.



PHILALLELIAE

LIBER III.

SITIEBAT interim, intercep-
tam Irenis historiam instaura-
re: tuncque Methildis verbis
exhilarata, aduocat, captato otio Do-
rotheam, rogat progrediatur; quæ re-
petito codice, dominæ assidens, cætera
sic prosequitur.

Dolebant Irenis sodales, in primis
amicæ, virginis marcorem indies suc-
crescentem:

crescentem: utque amabant impensè, solicitabant tuendam cōmodius valitudinem. Suspicabantur, id quod erat, efferatam in se puellam; atque promotas tandem, per imprudentiam, vigilias, cibum iusto tenuiorem, & verbera, ægro tunc corpusculo inficta sæpius, increpabant commotæ. Nihil ad hæc Irene: nec à maceptione carnis, neque ab attentioris mentis precibus, pro impetranda misero Remigio venia desistere: dumque optatæ pœnitentiae conscientia non redditur, languere, tristari, neque grato sodalium commercio, emis assuescere. Tūlla interim, & Monachorum preces, & Selij imperium, in

~~L~~eptim i*n* natura petit Cœnobium. Ibi apud sanctissimum Abbatem multa conqueritur, de intempesto Virginis ferore, nihilo mitius ægerrimis certè membris, quam sub integro robore, consulentis: mœstam degere, semotaque, iucundissimâ, non ita pridem, literaturæ operâ, curis tacitis visam confici: Curaret igitur, & subditorum precantium pietate, & suo in Irene vel consilio, vel imperio, reuerenter osculando, eius saluti consulere. Selius,

qui non solum moribus, sed etiam Ire-
nis suæ prudentiæ, multum, vt par erat,
nouerat deferendum : afflictam Julianam
suauissimus consolatur ; nihil spiritus
humani , etiam purissimi , affectibus
inconstantius ; raro vel in dieculam,
sub eodem tenore persistentibus , auras
his adflare aduersas, iam serenum , iam
nubilum commixtientes: fortè puellam,
permittente amico numine , internâ
aliquâ tempestate, vexari, vnde æstuans
ti menti malaciam, multiplicatis votis:
& afflito asperius corpore, tentarit re-
spondam; nec immerito ; nam neque
pretiosius antiqua in hac vita , quam
mentis quies , Deo defigenda : neque
istam aliunde felicius posse fari, quia
quibus Irene : cupitam pacem spiritus,
indicto membris bello, comparandam:
monebis tamen Julia (concludit pru-
dens Abbas) meo nomine , vt dum va-
letudo , solito nutat ægrior, non aufe-
rat, sed differat corpusculi cruciatus:
nec miretur , dum mens (si fortè inde
prouenit affectus mœstior) tot subitis
conturbatur insultibus : neque enim
aliter, nisi sub his procellis , coro-
narij flores , vernari solent: unius esse

Patriæ, sudam serenitatem, & hanc perennem: Sanctorum neminem, nisi hac, portui appulisse: ibi victricibus, tot breuum, tot scopulorum, tot vndarum puppibus, lauream immarcescilem imponi: cauendas tamen interim Sirenas, pellaci cantus peste, à via retardantes: & maximè carnis echencidem, immensæ moli, ni pereat, obstituram.

Discesserat iam Selius, cum abituram pariter Iuliam occupat Remigius, fronte, in callidam hypocrisim, apparata, multa, de Irenis ægritudine, déque adhibendo ingratissimum lachrymam, esse puellæ sanctimoniam; indolem tamen, quod expertus iam diu didicerat, passum duriorem: neque monitis cedere; neque nisi iudicio proprio, quid veniret utilius, arrogare: ergo, ut persuasum habeat morbum, nisi sibi videatur, nullo medicorum consilio, peragendum: & certè melancholiâ laborare: huic, nisi prædicentur, furorem præsigiri; tenacissimè ab humore atro, infici phantasiam, hac inde læsâ, rationis luce abolitâ, mentem offuscandam: quærendum nece

rīo medicamen, obstandum principiis,
 ne serpens malum, mortisque conuale-
 scens, spem omnem truncaret curatio-
 nis: efficaciorem hanc è Cælo prius
 querendam, daturūmque se operam,
 ut votis omnibus, à numine benigno
 èam sollicitet: nec tamen spernenda
 humana medicamina; irridenda vero
 ista virgunculæ contumaci, nisi piè
 delusæ applicarentur: agendum cum
 Irene, tanquam cum pueris, quibus
 absynthia terra, permulsum melle po-
 culum ministrat. Do tamen, subdolus
 addit, fæliciori genio, Iulia, quod for-
 tè mihi rāni aquam delata potiuncula
 melancholiæ, vt ferunt, præsentissima:
 reposueram hanc diu, c. s. m., qua-
 nunc tamen diuino ductu agnolco
 asportatam: aqueus est humor, quem
 fastidiosa licet, non auertat. Tunc
 pestilens à beneficâ pharmacum tradit
 ignaræ: & caue, inquit, medicamenti
 nomine, offeras Ireni, nauseauerit:
 quin sitibundæ aquam poscenti, fac
 porrigatur: ni enim fefellit amicus, Ire-
 nem nobis hinc nostram, restitu-
 mus.

Iulia, accepto audiuisse vasculo,

actis

actis ingentibus gratiis, hominis sollicitudini, lætior decedit, & eodem die, præmonitæ sodalis industriâ, inter cœnandum, Ireni potiunculam administrat. Suimoto pharmaco Virgo nihil mutatur: quò enim occultior, eò certior; quò lentior, eò etiam pestis parabatur efficacior: per plures itaque dies eâdem se habente Virgine, conscientia Iulia, commendatæ tam nimis potionis vim irridens; Remigij tamen pietatem tacite commendabat. Nondum trimestri exacto, multa patitur Irene, non iam ex familiarium opinione; sed ex proprio sensu, aut scilicet valde dubitans, aut certè aliter affectam sentit, quam solebat; fato iam suis, vel non bene, vel habere insolentius. Inde Parentum cura sollicitior in remedium; incusare puellam, quod tardior, inualescenti iam morbo, manus daret pellendo difficilibus, qui pridem leuissimo medicamini cessurus. Tactus temperies, vel imperitis, suspicionem febris amouebat, ideoque roganti Virgini, non aduocandos medicos, concedunt; mutandam tamen somni, cibi, salubrissimæ status, rationem præcipiunt: indulgendu-

dulgedum corpusculo blandius, si forte prisco vigori reddatur vltro, asperioribus scilicet amotis. Cedit Irene votis condolentium; quidquid macerando corpori subtrahit exterius, interiori spiritus affectu, & assiduis mentis in Deum eleuationibus compensans. Neque tamen sublatentis damni radix decrescebat, quin aucta in dies, prodebat affectibus clarioribus; nihil unquam, vel leuissimè Iulia suspicante (exciderat iam memoria) à Remigij doneo, id ortum; cui quidem, cautè se-
tior, euentus imputandus.

~~Sonc. iebam~~ non raro Matronæ consanguineæ indolituræ, Virginis valetudini, quam arctissimo necessitudinis vinculo, & virtutis veneratione diligebant. Has inter quædam, (cui Irene, cùm ob præclaram indolem, tum ob mores modestissimos, longè addictior,) seorsim cum illa agens: heu qualem te, habemus, Irene mea! occulto tabescens fascino, tuos enecas. Ecquid doles? aut vnde virgo, cui humanarum rerum cura imperuia, curis conficitur, familiam conjectura? Si quid prudens, sciensque subtices Irene,

desipis,

desipis, dum fallis: si ignotus tibi languor, quid saltem languoris effectus celas contumacior, nec medicos admittis, datis signis, venenum aucupaturos? falleris, si salutis, melioribus impendendæ incuriam, Deo gratam existimes: ipse, qui morbum parat, haud spernenda imperat remedia consueta; tentas numen, si ab vno, spretis, quæ commendauit, medicamentis, opem solicitas. Ergo cede puella, amicè consulentibus, ne peruiaci ingenio demus, ereptum nobis familiæ splendorum; nec solum mortem intempestatam, sed pariter doleamus pectora fani morientis; illam haud inuitè feremus, subente Deo: huic, etiam post cineres, meritò indulgнемur, te incusatâ.

Crediderat Irene, effectus potius conscientia, quam causæ, è Remigij culpa, dolorem contractum, corpori nocuisse: neque mirum si, ab animâ Christo recuperandâ, curæ solicitæ membris officerent; cum, fruendæ pulchritudinis caducæ ardor, olim Britaldum penè confecisset: ideo modestius subridens; ast ego, inquit, iam denuò aliquid

pati

pati non dissimulo; quid verò illud sit
 exprimere, ingenuè fateor, haud po-
 tero, nisi simulauerit: mœsta diu de-
 gebam, & languidior, cœlestium soli-
 citudine, animam, vrgente: cum iam
 familia morbum, sed somniatum au-
 gurabatur: omen visa fecisse, quod
 vulgò dicitur: sic iam ægrius habere
 videri possum. Deinde morum cando-
 re, rerūmque ipsarum, quas versat,
 ignorantia, pluricula suggestit Virgo,
 quibus se præter solitum affici, præ-
 sentit: virtutum scilicet omnino gu-
 stum, nulla non sapidiora nauseantem,
 solumque viliuscula appetentem: &
 quandoque ignotis, feréque fictitiis
 cibis inhiantur: incessu quoque
 per quietem, in somnia grauiora; in-
 iussos iræ motus, inuitoque iudicio,
 fastidia: tumidiores papillas, aqueo
 quandoque humore perstillare, alio
 interim alibi denegato: sentiri haud
 raro viscera subitis, non tamen vanis
 motibus subsultantia. Addidit alia sub
 eodem tenore haud dissimilia. Inter-
 rupt lectionem Dorothæa: & mihi, in-
 quit, domina si adessent, hinc maximè,
Virginis innocentia probaretur: non
 poterat

poterat maculasse nitorem, quæ nec maculæ vestigia agnoscebat: videamus quid præsumpsiterit admissa confabulatrix. At Matrona, cui non rara soboles, multiplex similium rerum indiderat experimentum, horrens ad singula verba multo tandem suffunditur rubore, ut & Virgo, inopinum aliquid passam intelligeret: quæreretque trepidula, quid inter loquendum subierit, vnde tam insperatè turbareretur? Admirata Matrona, simplicissimum Irenis candorem, intermixtis dolori lachrymis: proh, inquit, infaustissimam puellarum, iindò, (derur id consanguinitatis iuri,) stolidissimam! Siccine quid patiaris ignores, ~~consilia~~ necessario, ~~commixta~~ insperato, pudet dicentem, stupro temeratæ, subsequens fœtus tam surgit inopinus? Irene misera clarius te grauidam agnoueris, quam non virginem; ni fortè pari vel stu'titiâ, vel hypocrisi, ignotum tibi iactes, an sis iam mulier. Cae*te* tibi puella, inde decus familiæ tantæ, nata: parentes piissimos mone: plusquam satis sit, cœlesti sponso, adulterum obtrusisse, quin denuò, flagitio publicato,

æternū

eternū gemituros, oneres hac infamia: curabunt isti latebras tutiores, ne tumore ventris, breuissimè exhibendo, fabula vulgò fias. Quod si te prodere timeas, reinitte mihi id negotij, Eugeniam matrem duro, sed necessario vulnera percussuræ.

Non alibi virtus, viriles, infirmioris sexus animos, probauit manifestius: conticuerat quippe Irene interim, nulla, vel demutato vultu, vel perturbante motu, signa exhibens, vnde intendenti cunctis Matronæ, siue deprehenso sceleri, conscientia, siue integro pudori, fauor notaretur: Deinde voce serena subdit; non pœnitenda hucusque cœtus nostri conditio, impiis etiam. nedum tibi, quod amigo, detractionibus impenetrabilis; me tamen, inexcusabili iam vitio, nota tam gemis, quin narrantis simplicitas te retraheret: certè adultera Christo, non ita ignara ferum, veniret consanguineæ: eo pudor syncerior Virgini, quo minus nouerit, fœminis, consue- ra; mysteriis penè, quidquid ad fœtum pertinet, deuoluens, veneror tamen disponentis sic consilium numinis,

(c) 2007 Ministerio de Cultura

iam nemini proba ero, quæ tibi clarissimis, ut fers, signis, non tam suspecta, quam noxia deprehendor: dabo hinc innocens pœnas, quas aliunde agnosco non indebitas: ipsum tamen conscientum testor, nec leui nutu, virginis sibi thalami fidem violatam: cætera ut sibi placuerit, prouideat. Tunc Matronam relinquens, in gynæcei abdita se recipit, & tacito, sponsum Christum pulsat, suspiriis.

Matrona nec datis indiciis potens conniuere, sed nec ausa, simplici pudori arrogare nefas, dubia certè doloris conscientia, adit Eugeniam, nihil puellari opinioni, nihil nobiliori familiæ utilius tunc præsumens. Hæsit
~~didicisse ac~~ infausto nuntio, horrore ipso tardante credulitatem: subeunt Irenis suæ spectabiles dotes; ac tandiu per summam innocentiam, probata vitæ ratio, nec, subæratum subito aurum, nitorēmque fœdandum, præsumit temerè: adiuvat turbata Irene, ac signa candidè confessam, stuprūmque constantissimè negantem, dimittit tristior: vnica spes afflictæ, si forte vteri tumor, (eneruato indicio-

rum

rum reliquo apparatu,) non succederet: in id lyncaeis oculis tota defigitur, sed ubi paulatim, & decrescentes vestes, & furtiuo onere, grauata sensim membra, cernit dedecori subscriptissime: doloris impotens conuocatis cum coniuge sororibus iam idem trepido corde decoquentibus, rem expavit. Illæ perculsæ verbis, albo pallore genas inficitæ, muliebri eiulatu clamores tollunt. Animosior Hermagius increpat fæmellas, plancti prodentes, quod seuerissimo arcano dampnum foret, sed frustrâ: iam accurrentes ancillæ, quamuis diuissæ celerius, doloris causam fuerant aucupatae, paulo post, qui barum mos est, rumorem sparsuræ; ita facti, ut breuium folium gementi familiæ, sed & frementis populo, dedecus innotuerit. Præcipit afflictus genitor, ne quis exterorum inde, in conspectum puellæ admittetur; abdita gynæceo, Parentum etiam, oculos offensos euitaret: quasi per speciem morbi frequens decumberet: Discutiendum morosius, quid rebus opus esset. Adhuc videlicet, ut ad veterum succrescentem genitrix, sic ad edendum

edendum fætum , prudentior Pater,
 fidem suspendebat : forte incognitum
 inorbi genus , aut examinandæ virtuti,
 occultum Dei arbitrium : imò & perui-
 catis dæmonis dolum , conciliandæ
 desperationi, ibi intercessisse; eo quippe
 existimationis , anteactæ vitæ integri-
 tas , promouerat Irenem , vt non tan-
 tum unus Pater , sed & coæuæ non-
 nullæ , connutritæque sub eadem disci-
 plina virgines , huic potius putarent
 credendum , quam oculis fallacibus:
 dummodo quoquis effugio, vitari possit
 opprobrij allensus. Interea , (quamuis
 peius aliquid amitæ , quædamque aliæ
 Virgines suspicarentur, imò crederent,)
 hæ prudenter commixtantes , Irenis
 vicem dolere , & a constanti , serenó-
 que vultu , indicia capere , probandæ
 innocentiae , robustiora : votis placare
 Deum, adluceret his tenebris, labemque
 cœtui purissimo auerteret. Quos be-
 nignioris chori gemitus , cecinit qui-
 dam his carminibus. Præteri , quæso,
 subdit Belisanda paginam Poëticam:
 nescio quid sibi volunt authores aliæs
 prudentes , seriis quandoque , has mi-
 scentes nugas. Mihi certè , quos Cy-

gnos vocant, anseres semper obstre-
punt. At, non sic aliis, iudicij lima-
tissimi, inquit Dorothæa; Musæ di-
cuntur fœminæ, nec vñquam fœminis
pleniū adspirarunt. Odiinus cūm ali-
quorum virorum indocta turba, &
penè fœminea, quæ ignoramus: non
sic doctissimi Ecclesiæ Patres, quorum
innumerous Poësi sacræ deditos, apud
Methildim ab Alcuino referri, audiui
olim. Ergo bonâ, puellaris fastidij tui
veniâ, lego carmina, quæ ita:

Mæsti, coronam verticis, auream,

Raptam misellis, taxea suppleat :

Prisci nitoris, munera perdimus :

Nullâ noxâ, subiicimur nota.

Non auster, ~~unum lili-~~ filens.

Sic prato adussit, limpida fontium

Non sic ab apris, sordida fluxerint.

Ecquò furoris, vergere destinas

Monstrum, serenis, mittere nubila,

Natum: profanis, sacra reuolhere,

Quidvisque purum, reddere turbidum?

Ergo latebis? nec mala crimina

Pœnis luentur? obteget intima

Infamis artis machina, pessimum?

Cen sepe lymphas gurgitis, innatans

Iam iam tenenti, sepius habitur
 Atroque misso, callida, fluctibus,
 Quos decolorat, condit in uis;
 Sic atra nubes condere subdolam
 Causam reuissimam, sustinet improba,
 Crescent dolores, quo magis insciis.
 Flete sodales,
 Pectora duris,
 Plangite palmis.

Tunc cineres fulueque come, frontique
 decore

Spargite, templorum figentes oscula
 portis:

Igneaque exhalent, moesto suspiria
 corde.

Tu consumaci sis licet, indole,
 Sensibusque noctros fallit, auctior:
 Numquid superni numinis impius
 Mente putabis luminis indigam?
 O cæce nescis! sat memorem Deum,
 Vindicta cogit: sat furor, impiis,
 Instar flagello, cadere nescio,
 Æterna quamvis verbera duplices.

Benigna dexter coniice lumina,
 Casta caerulea, dedecus amputa,
 Iam Christe tandem: detege sup-
 plici

Causam malorum, quo sibi redditum,

Redde me

Reddens amores pectora dulciss,
 Téque, & sodales exhibilaret : moras
 Siquas reponis : facula flebitus : .
 Mæstarum amaras combibe lachry-
 mas ,
 Dulcis si amanum causa repellitur :
 Addant nec aris, vincula florida,
 Si pius iuuabunt munere funebri :
 Talis supremo pellitur aethere,
 Immersa fumo, candida stellula.
 Flete sodales ,
 Vota negata
 Pendite vita ,
 Si iam mæsta placent sponso , cui duci-
 mus auram ,
 (Aura manet potius , qui nobis) ferre
 tenet
 Pectore , si que posset , dura spectacula
 scena .

Irene tot mentis curis æstuans , immo-
 bilis affectu , Christo tenacius adhære-
 bat ; iamque non morbum illum , sed
 dæmonis illusionem probè intelligens ,
 (nec enim turpissimum Reinigij machi-
 namentum vel leuiter præsumperat ,)
 corpusculo seuerius afflito denuò , non
 sibi , sed familiæ , sed Virginum soda-
 lium læsæ opinioni , opem implorat

inge

ingemiscens: frequentius tamen aliunde
 constantior, nec his immorabatur.
 Nouerat se crucifixi sponsam tot olim
 expositi ludibriis maioribus; nec vnu-
 quam decentiorem, quam sub imme-
 rito probro: illo iubente, (quem intus
 suauissimum sentiebat,) ducioribus ex-
 poni, deputat in delicias. Quid enim,
 inquit, si scortum vulgo ducar vilissi-
 mum, sponso gratior, aut vnde non
 vana, puellarisque fallaciæ plenissima,
 probariim prisca vota, quam sub hoc
 onere? frustra simillimam me sponso
 optaram pridem, si nunc succumbam:
 per has infamiæ, mortisque procellas,
 ut tutior, sic celerior ad illum nauigo;
 lunatus, suauioris am*1* us, portus,
 laeuior*2* us turbinis aditur tantum:
 nesciunt Zephyri blandimenta con-
 uehere, huc conantem. Quid tunc si
 indignatus Britaldus vitam eripuerit?
 nonne gratissimum, si hanc animam
 fudero, seruandæ pudicitiæ? Si profa-
 næ zelotypiæ, cedit sanguis, diuino
 amori charior, immolato pudore li-
 tans? aut quæ magis dilecto placeat
 sponsa, quam quæ non alienâ, sed suâ
 rubet purpurâ? Amor obiecto obici

non succumbit ; crescit dum comprimitur , impeditur moles calcans robustius ; dummodo in dilecti peruadat amplexum , inter medias hastas , intrepidus penetrabit , admotos ignes hauriet audiissimus : si cautibus abscondatur præruptis , eo lacerandis obiter membris , contendet hilari. Obiice feras , nullibi faustius , quam sub harum visceribus sepulchrum credet; una sedet irreuocabilis sententia , dilecto frui ; hunc si redimat , fortunas , vitam , famam , quidquid denique fuerit , distractet vilissimo , prodigosus impetu , affectu prodigus. Ergo tibi , constantiam hanc , pectoris , ô Amor : tu vero timor , tua res habe : durabit exanimandæ etiam , affanolitas . Iis verbis confidentior , curis numini commissis , secura pergit : grandi parentum , sodaliūmque stupore , quos humana maior rapit Virginis constantia. Certè Ireneū , imperturbabilis propositi , tenacem , nulla vis dimoueret , quam vel etiam fracti orbis ruinæ ferirent impavidam.

Interea Selius , quem , ut potè virtutum semitas expertum probè , nec tur-

bo

bo tantus, à neptis existimatione com-
 mouerat: impensius solicitando numi-
 ni preces assiduas, & efficaciora adhi-
 bet sacrificia: inuisebat non raro Vir-
 ginem, aduocatis è sacro penu, exem-
 plis in solatum: sperandam post tene-
 bras lucem clariorem, hancque ab ipsis
 moris cumulatain: strata nim sum
 Iosepho, viam ad imperium, ab ini-
 quâ calumniâ, subque decoloris macu-
 læ, vmbra tili suspicione positum, sem-
 niatas ænigmatum vmbras clariss ex-
 posuisse: publicato ab adulterâ pallio,
 purpuram subrogata n, & insano mari-
 ti furori, fauorem Regium. Nullo stu-
 dio Iacob nati sortem euoluere potuisse
 felicius: plusquam sat molestissimâ,
 deuorantis bestiæ, præsumptioni, hoc
 exitu, compensatâ. Susannæ adulterij
 temere coruictæ, firmioris spei radices
 iactas: indéque virentem adhuc senio-
 rum lasciuiam, senili, pueruli, iudicio
 damnatam, non tantum accusatae, ho-
 noris abstulisse, quantum absolutæ tau-
 dem præstiterit: oppressi iniquè podo-
 ris clamores tacitos, spiritui, quasi in
 foporem gratum composito, nec inte-
 rim suscitando, indixisse vigilias: &

vultum rubore pariter, veloque conte-
ctum, ab his nubibus gratius, in spe-
ciem solis, emersisse, afflito coniugi,
familiæ congementi. Tandem, non
multum, tibi, inquit, filiola, restat con-
fusionis, quam enim ultra constitutum
natura tempus, viderint intumescere,
ægram potius, quam grauidam agno-
scant, , necesse est. Si autem permit-
tente Deo, id euenerit, vt phantastica
hæc vteri gestatio, consueto germanæ
fæturæ mense, desinat, imo (cur enim
non timeamus nobis ab hoste callidissimo?) vt & fictitia proles edi videatur:
inevitabilis calumniæ pondere oppri-
mente; tune diuino nutui syncerius ad-
hærenduim. ~~minis~~ amat, qui licet tor-
mentis constans, ~~ign~~andam his me-
tam, cupit tamen: sponso æterno,
æternos si iusserrit cruciatæ, offerre
satage, nedum vitam breuiculam, ab
humano iudicio, respersam labe, æter-
num propterea ducendam fælicissimè.

Irene, iam sibi probra, subdit, vo-
luptatibus adnumerata: expertam no-
scere, quam hinc arctius Crucifixo suo
vniatur; nec ullum sibi thalamum
ambiri,

ambiri , tanto complexui ; cruce gratius : fateri se humanum aliquid non dudum passam , non tam sibi , quam familiæ consulente , sed , & hanc solitudinem iam spenso iniectam , charioris cœtus rebus non indomituro : vnum ab auunculo petere charissimo , ut quotidie faciens , id sibi impetrandum curet , ne vel vnguem , ab incepto itinere deuiarit : id si daretur , quævis alia , quæ mundo vel placent , vel horrendur , nec hili sibi habita : vterique sui , conferenda , tumori apparenti , euani- dam scilicet umbram , nudum vocabu- lum . Id iam iam discedens nepti ad- uertit Selius , (ingenti virginei sermo- nis pietate hilarior) p. domesticæ syl- uæ ambulacrum , sed occultissimum , putaret spernendum : si enim forte , na- turæ morbus is esset , non aliunde effi- cacious sanatum iri : præmonitis etiam parentibus , ne id puellæ interdi- cérent .

Iam longa interim fabula , totius ferè vulgi animos detinebat : vix ullus inuentus , qui dubiâ saltem trutinâ ca- stigaret examen : omnes fictam chymæ- ram , verissimi monstri deputabant hor-

rori, inde ablatum sibi sacrilegè, virtutis exemplar dolere, virgineoque speculo, obductam maculam; non aliunde fæmineam instabilitatem probari clarius: temerè deinceps fidei aliquid superstruendum, caducæ basi; post laplam Irenem, solummodo imprudenter, mobili reliquarum ingenio, quidquam, virginitatis solidæ, concedendūn. Mirum! ipsa prisci miraculi notitia flagitio probando coniurabat: fuit tam tunc forte, arte dæmonis, hypocrisim: Sed Deus meliora: qui laiuam nimæ abilulit agnoscendæ: quod si verè tunc pia, absque dubio occulte superbientem, meritò apertâ luxuriâ punitam: ~~manifestè intemperante~~ indicata indole muliebri, solum ad inconstitiam, constantissimâ: Subsanabant alij protérve familiam, quæ Virginem, à probro, conata vindicare: tanquam lepidissimi cerebri commento, nouam Namam insolitæ fœturæ obtruderet. Inludebant quidam per cauillos & scommata Parentibus, qui, natas connutriendas Ireni, olim tradiderant, ab unâ, cæteras omnes suspicati: quasi sub Vestalium titulo, Cypriis sacris fa-

cilè initiandas: vernasse Erycinas plantas, in Hermigij domo, quæ tamen Aricinum nemus subdolè venditabatur. Id erat scilicet, quod serpens callidus machinabatur, virtutem suspectam, & vulgò reddere incredibilem; obstans fallax inceptis pulchris, nequa deinceps virguncula viam aggrederetur, à fine dubio, trepidè sibi præcauens. Si quis, & is rarissimus aliquid de cœtu religiosissimo mitius præsumeret; nec obgannire ausus, tacitus spem meliorem decoquebat, haud leuibus irrisorum dicteriis, calumniantium ludibriis excipiendus, si quid ingereret modeſtius. Nouit, & tamen patitur ista numen, que est arcanum, prouidentiæ eius, dispositio, alto pectore, in præfixum usque tempus, rem dissimulans.

Nulli prius, quam Britaldo delatus rumor tristissimus, impotem iræ principem commouit atrociter; somniatis si fortè consternendus, auditis, penè rapitur in furorem. Hoc erat subdit Belisanda, quod ab initio machinamenti, timueram Ireni nostræ; heu Dorothæa, quam ingens laborum pondus imminet

iam puellæ. Sed habet, inquit Dorothæa, sponsum fortiorem; vertet in melius quidquid profanus princeps durum decernet: attendamus: Serpserat per triennium ignis, eo saeuior, quo occultior: imperarat tamen incendio Britaldus, frænatus Christo; humano corruiali, degener non cessurus; non parum illud grave; hoc, planè sibi visum intolerabile. Satagebat ingens illa, quam erga Irenem hauserat, veneratio, tot contestantium linguis obsurdescere, te terrimain calumniam interpretata: recrudescebat tamen immanior zelotypia, leuiori aurâ, nedum tot fainæ tubis, solita concitari. Amor nimius infusciones proxus, plerumque ex ardoris impatientia, eo rapitur, ut quod præcauet anxius, credat facilis; ipsissima charitatis blandimenta, in timoris indicium obarmauerit, ficta sibi præsumens, quæ facienda æmulo appellantur; & exhibendos alibi ludos gratiore, tantummodo ad discendum, hic delibatos; inde amentia ab vinbris, non vmbrotilis: quid ni ergo Britaldus, neque ita leuibus motus, insaniaret? adhuc tamen oculos suos desiderat

in testes, infaustus adolescens: nec quam meditatur vindictam, auribus tantum, quas deceptas optat, probatam volebat; sed desipit stultus; saeuiori præstigiarum fascino oculi capi solent; nulli sensuum facilius includitur. Ergo priscam, quam olim inierat sepem repetit occultus, si forte celatam diligentius, ut audierat, cerneret puellam; dumque frequens ingreditur frustrata operâ, cernit tandem densiori syluâ tectus, quod mallet, obcæcatis etiam oculis, euitasse.

Ingesserat se deuio deambulacro Irene, is tamen eunti gressus, ea, defatigatæ iam exercitatione, species, quæ facile vindicari pudorem; demissi oculi, nisi dum raptim emissum cœlo suspirium subsequebantur: vultus verecundiam exprimens: commissa modestè brachia: gestus denique totus, non affectato tenore; sed innato morum pondere compositus: Virginem intuentibus probarent, quantumuis tumore vteri reclamante. Sed Britaldus in hunc tantummodo defixus, quasi nihil iam ultra dolori suo afferendo, superesset inquirendum: immobilior,

quam ad priscum illud substitit spectaculum; tam sibi alienus, incertusque quid ageret: ut Irene interim, haud spectantis consciā, domum versus, longiusculē discedente, ipse tandem clapsam penē aduerteret insequendam: Iam iamque erumpebat, detinendam facile, atroci nece vlturus, (sic vicerat commota rabies, patientiam,) cum subsistit, non tam clementiæ ductu, quam superbiæ typho; putauit Princis gladio victimam indecentem, neque dandum, turpissimo prostibulo, id honoris. Ergo sub pari gressuum tenore, subductam iam aspectui, fremens deuouet. At, inquit, habebis perfida, quæ meruisti: ~~ab his trucidaturi sicarij~~ dextræ vitam, cui olim, dextræ nostræ viluit fœdus nuptiale. Hæc scilicet erant illa; *de ca: e o perge securus, profudero aspirante rumine vitam priu, quam pudorem.* Imò inspirante Venere, prius quidem pudorem profudisti, vitam profusura: occultè rem peregero; ne si vindictæ iustæ auctor agnoscar, perditissimus olim procus denoter: quid non pudeat, amentem amasse pridem; cuius vlciscendæ, suppudet iam con-

stantem? neque enim addideras, sic demens dego, ut nuptiis Principis, vlera spem oblatis, priuatas præposuerim: Sed certè degebat demens Princeps, qui obtulerat: benè tamen, quòd hinc, mendacij non damnaberis; planè consentiunt, factis verba; nec enim tam nouam nuptam, præbuisti te alteri, quàm scortum: nec nostro, priuatum thalamum; sed publicam penè forniciem præposuisti. O monstrum! ô pestis! & quod omnium tetrius dixerim, ô fæmina! tune, me in virtutem incitabas, magistra vitiorum? tu vulgaris meretricula, haud vulgari sanctimoniae instimulabas? affigebas venefica, verbis maiestate; credidi, ~~ne~~ tunc primum fascinatus: ~~compesta~~ primum in morbum; in salutem audita; in stuporem induxeras, ficta contemplatrix: tam multis vna, non me solum, sed orbem fefellisses; purgetur iam impiissimo capite Nabantia: Sat, per speciem pietatis, datum infamiae: iam dudum Orco victima danda fueras: Hinc, sauius efferatum prope modum pœnitiebat, non occidisse.

Ergo vix dum regreditur in palatium,

cum è fidissimis aduocat sibi militem; huic surrigentibus horridè capillis, coacto in stridorem spiritu, mandat Irenis necem, saeuientis zelotypiæ stimulos inculcans: prætendit insuper Oppidi infamiam, quam è dissimulata diu mulierculæ, hypocrisi, contractam dolet; nihil, aut sibi gratius, aut Patriæ tunc utilius facturum; instituit, qua aditus facilis pateret: & debeatur, inquit, hoc tibi, ut Principem, ab hac cura liberaueris. Nabantiam ab hac nota, si quid insurgat periculi, (quod tamen projecto, in fluuium, caduere, vix appareret,) habebis me patronum; audacem te tantum rebus exhibe, verbis ~~extinguem~~: nemini mortaliū res, præterquam imperanti Domino innotescat: hinc tibi ultra spem præmium, quantumuis auido; ut enim nihil unquam ardentius optauī, sic nulli unquam soluerim liberalius. Miles peragendo negotio industriam, & peracto, silentium pollicetur: actis etiam Domino gratiis, quod unius fidei, videlicet tutiori, prætermisssis tot aliis, rem committeret. Inde, (quæ est impia Aulicorum libido, per quod-

uis nefas, Principi, blandientium,) captandæ opportunitati exequendi facinoris, totus impenditur. Iam sèpè interdiu, labore irrito, designatum locum adierat, latro solicitus: Igitur Hermigij familiæ, quasi aliud agens, sese insinuans, obiter discit, non raro post nocturnas horas precarias, in sylvam commeare Ireneum, ibi iactatis suspiriis, profusis lacrymis, aut stuprum, si noxia, aut saltem infamiam deplorare immeritam, si fortè innocens. Tunc ergo, noctu etiam adornat exequendam vindictam; tandemque ex occultioris nemoris insidiis, conspicit puellam, dubius, an è sodalibus aliqua, votis obstrepens, an eisdein respondens, Irene foret. Flexis genibus orabat Virgo, nondum pulsâ omnino nocte, iuxta arbores, vnde prospectus in fluuium latè demissus. Sudum cœlum, auræ, colludentibus frondibus, lenius interiectæ, aurisque, vndarum murmur consonans, sub alto aliarum rerum silentio, duriori etiam cordi monerent desideria: ardentissimis vnius Christi flagrabat ubiuis Irene: tunc tamen amœniori solitudine pellicente,

vberius

Nescit unde, sentit se nihilominus cœlestium amore, subtilius penetrari, quam soleret, affici tenerius. Sensimque deficientibus sensibus, ablatis tandem cogitationis figuris, solius mentis obtutu, quærit dilectum: nusquam in hac vita suauius, quam sub obscura luce, sub splendenti caligine, inueniendum. Nec diu sic persistit, hebetatâ quippe nimis cognitione, vel quod verius crediderim, cessante penitus, arctiores, affectus, rapitur in amplexus, quasi totius animæ vires, regina sibi voluntas arroget, in commercium: in Patria tantum absque dispendio mutuo, amoribus, & notitiis simul impendendæ. Interea impius sicarius gradu suspenso, anhelitu represso, cautè procedens strepitum euitat: incassum tamen id laboris impendit: vix enim tunc Irenem, commotæ procellæ turbines excitarent. Vbi iam dumetis delitens, proximior prædæ imminet, quæfitam agnoscit: soplatam crederet, nisi quod genua flexa, & eleuati in cœlum oculi, nihil somni desidis arguebant. Dum hæret, hinc spectaculi reuerentiâ,

in timorem, inde imperio Domini compulsus in audaciam: emissō suspirio Irene, se sibi testatur redditam: ille tunc percitus, ne sibi captata diu præda elaberetur: Virgini non gladium, sed virum trepidanti, sese obiicit; & adhuc in genua procumbenti, adacto mucrone iugulum transfuerberat, pudicitiae candorem, sanguinis, in illius propugnationem missi, rubore purpurans: inde, (ad sydera immaculato spiritu reuolante, virginem corpus proiiciens in Nabanum: facinoris horrore, nuntiandique gaudio, medius, auffigit.

Tunc Dorothæa in affectus piissimos, vndique commota. I fœlix Irene, inquit, nouam Martyrij gloriam aucupata: cæteri Martyrum, furentes hostes, vt plurimum decantati victores triumpharunt, tu non solum deuictos hostes triumphas, sed etiam victoriam, cuius debitas laudes post obitum, si liceret, suppressas velles: at non patietur sponsus, cui vni placere studuisti: latebis paululum, illustrius ostentanda: resonanti Cœlo præconium, applaudent vndæ, acclamabunt littora, nemora resultabunt.

sultabunt: induet mille ora fama, non
in vnam Lusitaniam, sacro nomini
bucinando, sed in orbem: miraculis
radiabis, quorum tu ipsa maximum.
Pergit deinde legens. Subit non lon-
gè à Nabantia, Nozcarum, Nabanus:
Nozecarus non ingentis aluei fluuius;
sed cursu rapidissimus, iam concepto
Nabano animosior, post mirandæ velo-
citas ambages, nunc rupes, nunc an-
gustias indignatus, tandem in Tagum
influens, bellum magis, quam tribu-
tum inferre, videri potest: donec fræ-
nato impetu, sub alieno nomine con-
ticet iam pacatior. Huc ergo tandem
delatum sacrum cadauer, iam viliora
reddiderat ærea raimenta, quibus olim
superbierat Tagus noster, hinc certè
preciosior.

Alto iam die, cum solito sodalium
commercio, decesset Irene, tamenquam in
sylua diutius immorans incusatur, im-
missis illarum quibusdam hanc redu-
cturis; sed ubi vestigatam diligentius,
inuentam negant; ecce totius familiæ
dubia solicitude, & ista sensim crescens
in maius: iam quippe progrediente so-
le, nox imminebat, nec tamen anxiè

desiderata puella redit. Hinc obtre-
ctantis partis (amitis præeuntibus) sub-
fannatio, iræ, dolorisque confinis: stul-
tè pias cæteras fuisse, quæ ut Ireni faue-
rent, oculis, de admisso probro, non
crediderant: abiisse iam miseram, in-
famiæ immenso ponderi succumben-
tem, apud adulterum tutius enixuram,
& inde desperatius perdendam; repre-
hensis interim parentibus, qui domus
propodium, arctissimo carceri non in-
cluserant: corrosoque acerbius Selio,
tot canis iam deliro, qui libertatem
indulserat imponenti: quin & partem
cœtus benigniorem, quæ Irenem, non
ita pridem tuita, imo, & Parentes,
quasi sero saperent, possebat iam in-
dulgentiæ: minusque prudenter, detre-
ctantium cauillis obuiasse, fatebantur:
ut iam omnibus, mixta dolore rabie,
nihil, nisi vile prostibulum, Virgo fo-
ret. Vnus restabat Selius, cui nondum
Irenis memoriâ damnaretur: ergo Deo
rem deferre, lachrymis, ieuniis, sacrifi-
ciis, opem afflictæ familiæ implorare:
dumque sisus diuina clementia, perstat
orans, potitur voto fælix; accepto
quippe nuntio cœlesti, de Irenis suæ re-
bus

bus redditur certior, neque libidinis victimam, sed Christi discit hostiam; iubetur insuper, conuocato populo, quæ facta sunt exponere: fidem è corpore mirabiliter exhibendo, inuentura. Inde totus in gratias effusus, benignissimo numine se prosternit recolensque venerator cœlestium politicorum usum inueteratum, hæc esse discebat, vnde Christianorum fides hilarior, & spes firmior, & charitas vegetior, augeri solita; vnde innocens quisque, oppressus licet, animo non despondeat: cuius laboribus, aut remedium, si viuat, aut post obitum, faustior corona manet; minus fœlicia Iobi postrema fuisse, ni radiarent à mediis infelicibus. Captatâ igitur solemnioris diei opportunitate, in concionem, magna quædam exponenda pollicitus, populum cogit: Confluitur vndique ingenti audentium auiditate: qui non poterant, non mira sperare, interposito grauissimi Abbatis, quem reuerenter habebant, testimonio. Tunc immoto obtutu attendentibus, sic è suggestu, exceptus plaudenti stupore, Selius exsus est.

Si apud eos, quibus veri numinis,
religioſo, nutat adhuc, sermo haben-
dus foret, multa præmitterem, vt il-
lius, aut in agendo potentia, aut agen-
dorum occultissimo tenori fides para-
retur: sed vtrumque synceræ pietatis
auditoribus notum probè; superuaca-
neo labore, dicentem leuat, nudo enar-
rando miro, incubiturum. Habemus
Irenem nostram, quod nec etiam cu-
pidis speraretur, integerrimæ pudicitia
assertam: imo & insertam consimili
Angelorum choro, iam beatam. Non
stupro admissus fœtus, sed porrectum
dolo pharmacum (ignotus adhuc mihi
tot præstigiarum auctor) vtero tumo-
rem phantasticum conciliauit: oppu-
gnatus scilicet proterue pudor, sed for-
titer resistens, intenti hostis viribus, ad
nequitiam, superatis, dolosi machina-
mentis succubuit, ad infamiam: despe-
rato nimirum libidinis commercio, la-
borauit malignus præstigiator, inte-
gritatem Virginis apud alios reddere
suspectam; id assequutus hucusque, sed
iam in maiora vietricis incrementa.
Neque id satis: altius virilis puellæ
animus erat examinandus; nimirum
sive

sue zelotypia nescio cuius, qui fortè eiusdem pulchritudinem deperiret: siue stupri temerè præsumpti, quasi Patriam dedecorantis, abominatio. Sicarium inde obarmat in vindictam. Orabat innocens victima ad Nabahi ripas, tot meritorum infulis adornata, cum adasto gutturi gladio immolatur, neque sacrificio recalcitrans, nec optans succedaneam; rectâ, pergente ad Christum immaculato spiritu: corpus fluvio demergitur occultandum: & quasi Nabanus noster paruulus, precioso thesauro non sufficeret, Noze- caro commisit custodiendum: qui sub- inde augustiori Tago reliquias com- mendauit, feruandas dignius: expe- Etant ibi cultus vestri pietatem, eo gra- tius impendendam, quo manifestius ex- hibitæ, & dictis nostris fidem, & stu- porem vestris oculis arrogauerint.

Excepit postrema verba, auditorum se mutuo contuentium, insolens admiratio: hanc inde susurrus varius, propter singuli diuersimodè affecti. Qui- dam vltro manantibus lachrymis, nu- minis clementiam extollere, prosperos funesta scenæ exitus Hermigio gratu-

lari; nec dum viso miraculo applaudere iam hilares: alij importunè cauti, dictis addnbitare: grauissimum quidem virum agnosci Seliūm; sed tamen consanguineæ familiæ opprobriis, non alienum; & aliunde Ireni impensissimum; in cuius olim, minus prudenter approbandâ sanctimoniam, leuior audiebat: quid ergo si fabulam aliquam, non solum suis, sed sibi maximè consulens, adornaret? at potuit, inquiunt cæteri, auribus sic illudere; oculis autem, quos aduocat in testes, quid non ridiculum exhibuerit, nisi verum? nec longas esse moras, nec impenditum grue, concurrere scilicet celerius ad Tagi ripas, vel sub fæliciori euentu, diuæ applaudendæ, vel irridendo Abbatii, detecto fuco. Hinc iam, vel etiam durioribus assentientibus, indicitur in sequentem diem pompa celebris, utriusque sexus, innumeris, piissimo ardore concepto, confluentibus: iturque Selio duce in locum designatum. Cernere erat, quam impensè hinc Irenis familiares, inde Abbatis alumni, dextrum sibi tacite numen Deiparainque solicitarent propitiām, ut facto ipso,

ipso, adductæ renelationi pondus ad-
derent : quippe flaminatum, crebris
suspiriis pectus; mentis teneritudinem,
profusis lachrymis: & sereno vultu, in-
fixam spem cordibus, exhibentes; dum
cereas faces eleuatæ cruci prætendunt;
charitatis faces, cœlestibus inferre di-
ceres, vota, & preces, apud communem
dominium posituris.

Dum pompa pergeret, iam Tagus,
quasi concepto sensu, hospitum pieta-
tem palpaturus, contractis vndis. Ireni
ancillantibus, in se reductus, ad me-
diam aluei partem exaruerat. Ibi cœle-
stium Operarum industriâ, eminebat
sepulchrum, è marmore politissimo
extructum affabré; in quo Virginis
corpus compositum, & detectum, ultra
naturæ terminos honorabatur. Stupet
agnito miraculo frequens populus:
inde omnes, singulique perturbato or-
dine, compositâ pietate, sacris mar-
moribus oscula figere, arenis circum-
fusis hærere vultu: qui piè de Virgine,
quamuis trepidè senserant, voces ex-
tollere, intonare præconia festiva;
cæteri obtrectationes retractare, pœni-
tere calumniæ, orare veniam: omnes

deinde lachrymis se mutuo amplecti, congratulari Patriæ, Parentibus, Ireni; & nūnīnis clementiam piissimam commendare. Iacebat Virgo spiranti adhuc similis, sed solito pulchior: transuerberato iugulo, vnde plus gloriæ, quam sanguinis emanabat, non horrorem funestum, sed venerabundum affectum solicitans: putares sub hilari vultu, his gratias, illis veniam impertiri, pacem omnibus. Selius inde, impotentis gaudij turbæ tumultibus compositis; pio fletu venerabilior, pauca in praesentis miraculi memorat commendationem: innouata, priscis, indulta prodigia, sed cumulata. Cessisse Moysis virgæ mare rubrum, suspensis utrimque vndosis, parietibus; ad conspectum Arcæ Iordanem retrò fluentem obriguisse: maius esse, non solum pari tenore refugum Tagum, sed insuper augusto tumulo comptiorem: pridem Clementi inditos honores, Ireni instauratos, ne alter sexus gloriâ fraudaretur. Hinc etiam legi, gratiam praestare: Cessit Ireni fluuius, mare Clementi: ut Moysi, & Iosuë, olim concesserant; nisi quod tunc viuentium imperio paruerint,

ruerint, nunc etiam mortuis adhibeant
reuerentiam : multum esse animatis,
atq; ictibus, aut ingressibus succubuisse,
plus membris , etiam frigidis deferre:
ibi tantum pertransituris , & quasi eui-
tandis,viam : hic quieturis,ac audie re-
tinendis, tumulos adornari.

Tunc denuò pius audientium cla-
mor , læta suspiria ; deportandum, Na-
bantium , satrum cadauer , in Patriæ
præsidium , decus Lusitaniæ : id dum
conantur, & maximè Parétes, nulla vn-
quam vi possunt: immobile purissimum
corpus , defatigataim superat pietatem,
iam impia , si contendat diutius. Ergo
non absque lachrymis receditur : vix-
que ad ripas reuersurus iam populus,
hilariter afflictus remearat, cum Tagus,
quasi officio functus , repressis tandiu
vndis imperans , sibi redditur , alueo
tumulum obtegens , restitutus. Detu-
lerat secum Selius, efflagitante populo,
è vestibus , è crinibus virgineis reli-
quias : quæ deinde in Cœnobij sui
templo collocatæ , cœcis visum, mem-
bra paralyticis , omnigenis morbis fa-
luteim compararunt , & quod maius est
sacrilego Monacho , & militi carnifici

tam

iam dolentibus, impetrant pœnitentiam. Nam Romam transmigrasse fertuntur, vbi admissi sceleris, & retroactæ vitæ, assiduis lachrymis, maculas abluerunt. Quiescit hucusque Irene, non breui marmore, sed toto Tago, in tumulum, potita; cuius nec minus celebre Epitaphium: quippè celeberrimum Oppidum ex aduerso situm, cui ad ea usque tempora, nomen *Scalabis*, iam inde, *santa Irene* appellatur. Quis unquam condi potuerit glorioius? Non est anilis fabula ad pietatem composita, sed grauissimorum Auctorum testimoniū, multiplici experientia comprobatum: nunc scilicet post tot annos, ab illa parte Nabani, vbi sacrum cadauer proiectum fuit, sanguineis guttis intincta adhuc saxa, proferri solita; quod quidem miraculum, pariter cum illo alio sepulchri, sic breuiuscumâ Elogiâ recentioris Poëtæ celebratur.

Quos Tagus immensis opibus pellexit,
Anari

Currite; iam possunt pellere labra
suum.

Tempestas preciosa magis, nunc fulmen
amoris,

Flumine celatur : gemmea Virgo
latet :

Nec limo splendente fluens , nec turbidus auro ,

Hermus , Pactolus , fertur honore pari .

Huc Tagides cumulate pios , è margine flores :

Iam datur equoreas vincere posse
Deas .

Forsan , & hinc poterit , reflexo fonte ,
beatis

Nectarea , in Cælum , pocula ferre ,
Tagus .

Ast ego dum sacri celantur marmora
busiti

Saxa petram , stillis rorida san-
guineis .

Dic tamen in saxis , quid iam tot sacla
moraris

Caste crux , lymphis , nec tibi gutta
perit ?

Forsitan ut discant , lapides subsistere
forres ,

Martyre Virginem , cum mage forte
nihil ?

Mentibus ignavis ergo , si haud robur
adesse ,

Saxa queant, adfint, pietà rubore,
pudor.

Forsitan ardentes cupiunt superare lá-
pillos

Concolor, ut cedas, fulue pyrope,
sibi?

Cedite gemmantes, augusta fronte, co-
rona

Clarius hinc Regi, iam diadema
micat.

Mollius an spirant, humano pectore,
saxa

Funditur huic seno sanguis, at issa
colunt?

Quaeis rigida in specie, tenori figuntur
amores,

Martyris: his blandum cor lapi-
desce mihi.

Quidquid id est, veris melioris munere,
cinctum

Arboribus vita, flumen ab axe
micans,

Inuidet huic nostro: gemmas quam fer-
re nitentes,

Saxa magis vellet, qua crux alme-
beas,

Sternet his asarota Deo, queis Vrbis
honores

*Adderet excelsa, dum minus astra
nitent.*

*Nam consanguineus plagis, quas mon-
strat I E S V S,*

*Gratior est splendor, turba beata,
cibi.*

Gratiissimum sacræ tragediæ exitum
piis lachrymis celebrabat Belisanda;
apud Dorothæam simulans, ab inno-
centi Virgine, solatum captum non
vulgare: corde tamen tacito à dissimili
Ireni opem flagitans, qua, & Mona-
cho, & carnifici, pœnitens iungeretur:
cum ingressa Methildis, puellam de
more, solatura, commercium iucun-
dissimum interrupt; non tamen affe-
ctus pios quibus, Irenem sibi propi-
tiam, solicitabat deinceps.

Degebat non tam sui, quam pericli-
tantis Amici, sollicitus Amelius, stu-
poris ingentis se coarguens; quod mi-
nus præcaueret futurum, vt curis pro
fodali sæuius, quā suscepto premeretur
periculo: inde solummodo leuans an-
xietatem, quod immobilis proposuerat
erupturum pio dolo detegendo, si for-
san negotium redigeretur ad incitas;
cum ecce Amici litteræ, quibus, qua-

lætiiora tulerat Ernaldus, memorabat,
 & iussum bono animo esse, fæliciori
 spe reficiebat, neque diutinâ. Hinc iam
 Amelius leuius æstuare, & hilariori
 vultu admittere domesticos nonnullos,
 quos Abbas, de canis, & prudentia pro-
 batos; rei consciens voluerat, piis ser-
 monibus, tanti hospitis dolorem, cu-
 rarumque immane, decepturos. Nota-
 rat id Balduinus, quem ob candorem
 eximum, litteraturam bonam, egre-
 giam pietatem, & venerabilem sene-
 citatem, familia suspiciebat: aduocans
 ergo sibi Methodium, quem iam sua-
 viissimis officiis demeruerat: rogat in-
 stanter, prolixius sibi narret sodalium
 nobilissimorum euentus miros, quos
 sæpè intercidens, quasi iam notos pru-
 rientes in eos aures cruciabat: unde
 tam arcta oriretur consuetudo, quæ
 Perithoi, ac Thesei, quæ Pyladis, &
 Orestis fabulas in historiam videbatur
 asserere: mœstissimum tandem inspexis-
 se Amicum (hunc omnes sibi hospitem
 credebant) donec Amelij sui litteris
 recreatus, id videretur testari, ab il-
 lius euentu fausto, vel infausto, vul-
 tum simul cuin animo pendere. Puta-

uit indulgendū seniori Amico Methodius; nec otio destitutus in latebris, & de officioso hospitio obligatus. Ergo admotis fenestræ sellis, vnde in syluam, intersecante fluvio, amoenissimam longior prospectu mitteretur, seorsim à domesticorum consident strepitu: audiissimèque intendeante Balduino, nec sibi iniucunda recolens, hæc Methodius.

Nondum plena, Pater grauissimè, tria plura numeraueris, ex quo senior Dominus, adhuc prætextatum iuniorum, sed iam sub virilitatis confinio, Romam, deducendum mihi tradidit, vt ab Antistitum Antistite, qui Procerum nostrorum mos est, fonte lustrico intingeretur: Optarat scilicet piissimus Parens, vt vna eadémque toga pura, & viris filium adscriberet, & Christianis. Ergo festiuo apparatu, & ingenti satellitio Hetruriam peruidentes, penè Lucenses terminos attingebamus; cum ecce caterua similis eiusdem propemodum splendoris, et si imparis numeri, euntibus se adiungit. Ducebat hanc adolescens, qui è Berichano prodierat, sub eadem causa, Romam petiturus.

Hæremus

Hæremus utrinque, & alij mutuo, in
aliorum Dominum, defigimur attoniti.
Vnum scilicet, eundemque, sub di-
uerso solummodo habitu multiplicata-
tum, visi conspicere. Equis relictis
iuuenes coeunt in amplexum, & præ-
ueniente notitiam, rapiuntur affectu,
arcano naturæ ductu inuicem redaman-
tes, Ætas, forma, proceritas, non
similis, sed eadem in utrumque diuisa,
alteri alterum medullitus insinuat: mi-
ratur mutuò hic, unde illum mirabilis
percellat, inde probans unde probatur:
Lufisse naturam diceres, & monstrum
edituram vitio carens, sigillum pro
singulis innouatum; tunc semel errori
suomet grato, repetiisse: Nec è diuerso,
ut' dioscuros, sed ab eodem ouo edi-
disse cognatos: frustra concordes ani-
mos commendarim, quos sic indiscre-
tis membris vides destinatos. Obstu-
penti igitur utrinque plausu conscen-
dimus, & longioris viæ tedium grato
commercio relevantes, Romam ingre-
dimur. Fluebat tunc à nato Saluatore
annus octogesimus, supra septingente-
simum: assistebat Petri clavo, Deus-
dedit Pontifex suauissimus, qui ba-

ptizandos adolescentes , mirâ sacræ curiæ lætitiâ , comis excipit , quos deinde celebriori pompa intingens, dum neophytes pari vestium candore ambi-
guos magis exhibet , nec etiam dome-
sticis parat discernendos , nisi quod ac-
ceptis denuò nominibus , Amici , &
Amelij , tantillo dispares vocis sono
responderent vocati. In amicitiæ tessere-
ram , iij similitudinis symbolum , xenia
Pontifex parat ; bina quippè fabricari ,
opere fusorio , pocula iusserat , sic vn-
dique paria , vt solummodo adolescen-
tium cederent similitudini : his munu-
sculis affectos non absque ingenti desi-
derio , dimittit hospites. Iam repetitâ
Patriâ , nos Auerniam , illi Berichanum
cogitabant : cum ecce iuuenum mœsta
suspiria , decoræ lachrymæ ; parentum
desideria incusant , quibus gerendo
more , amori obstrepunt. Non duos
extremo dolore separari ; sed vnum , sibi
penitiori , dices euulfum : inde tan-
tummodo solatium , quod se mutuò
viuerent , nec tot titulis initum fœdus ,
violabile vñquam prætimeren absen-
tiâ : nouos congressus , quaqua possent
celerius spondentibus , tandem intersi-
stimus :

stimus: nec absque sacrilegij religione, hærenites adhuc complexu vix dimouemus, & diuersis itineribus immittimus; quos tamen in idein, respicientes mutuo vultus, auidis palpebris, vocibus commeantibus, nec iam à longè perceptis, rapiebant.

Peraucto iam triennio, Iouinianus vir primarius inter suos Amici vestri Pater, non tam ætate, longæuus licet, quam priscis bellandi laboribus confectus, iam cessurus fato, natum compellat, & iusso senili lecto considere, praemissio prius amplexu, sic alloquitur: Iam penè duriori vitæ superstes, nate amantissime, te relinquo, inde hilarius, quod præcedo. Scio non satis tibi, ab opibus, splendoris, splendididis aliunde natalibus, necessarij, id tamen in acceptis à benigniori numine repuerim, quod diuitias, excellentiori virtute compensarit. Ego ephebus adhuc, & inde ad hanc canitiem, mortalibus laborauit impensus Regibus, quorum imperia bellator propaginem quorum purpuras, fusō sanguifte vigistrasse, putari possem his insistens, & tamen decebo tenuis, dub eius iam

mia, hianti mors præuertit; tibi fœli-
cius sub ipso iuuentæ flore, iam fru-
etūs maturescunt. Perge qua cœpisti,
mea viscera, & pro Patris testamento,
hæc pauca cape. Nihil humano Prin-
cipi indulseris, diuino dissonum: Ame-
lio tuo fidissimum te præbe: aliquid
enim mortali conditione maius, aut di-
uisa vinitas, aut indiuisus numerus, fe-
rat necesse est: experiantur te mendici
largum, Monachi patronum; vt enim
nullibi fœnerātius creditur; sic nullibi
fordidius laborat auaritia. Ultima verba
iam penè anhelo pectore detruncata,
demissa aure aucupabatur Amicus.
Tunc postremo libato osculo, dece-
dentis spiritūs reliquias ambit sedulus:
claudit paternos oculos, suis interim
virili fletu perstillantibus; tandem li-
beralissima pietate, patri iusta soluit,
& per annum, quosquos Bericha-
num mendicos tulerat, alens, &
quod præcipuum est, purganti igne
detentis, operaturos admouens Sacer-
dos, paternæ animæ auxiliator per-
violabit.

tiâ: nouos ~~et~~ etus piissimè Patris officio,
celerius sponda ~~et~~ accepis patriæ impenditur,

domi,

domi, forisque, ciuium suorum addic-
tus bono; egenis liberalem, patrem
pupillis, splendidis requisitum se exhi-
bens consiliarium: vtque arcanâ Nu-
minis prouidentiâ, euenire solet, (nu-
tante inde, sed solum apud ignaros,) è sic benefico semine, labores metit.
Ingratus populus, nec satis vnquam
prærextu indicato, rebellat in Ami-
cum, & Auitâ hæreditate spoliatum,
exulem dimittit, neque furore cœcus,
ocellum patriæ erutum sibi aduertit:
per speciem pietatis, quasi Tyrannidis
affectatorem, malè mulctat. Erumpit
Amicus pauulus, sed fidissimis famulis
adiunctis, quorum vix ope, facilem,
sed pretiosiorem gemmarum suppelle-
ctilem vindicaret. Exarserat interea in
Heluetiam, Suevia; eo igitur positurus
militiæ tyrocinium comneat, strenuus
adolescens; robore si forte parturus
apud extraneos, quod domestica im-
pietas abstulerat: Sed neque ingenuo
voto mendax euentus. Habuerat mili-
taris disciplinæ Magistrum, parentem
optimum, curâ pariter, & arte vigi-
lantissimum; huius dictatis insistens,
cum breui se gessit, vt sub eius iam

ducis auspiciis, insperata victoria potirentur Sueui. Hinc spoliis opimis gloriosum, nec mediocri maestatum prædâ, Stephanus inter Proceres non vulgaris, vicorumque haud ignobilium Toparcha, & Iouiniani iam olim notus hospes, Amicum ambit in genus, & solicitis puellæ votis, tandem consequitur.

Duxit Amicus Obiam, (hoc nomen Virgini,) ingentis patrimonij hæredem, & incredibili comptam pulchritudine; durioris tamen, ut fertur, indolis, ingenij superioris. Hæc paucis post diebus, amissò Patre, aditâ iam hæreditate audacior, Marito insultare, seu mitissimo coniugis abusa ingenio, seu fortunis superbiens, quarum se legitime dominam venditabat: Itaque obstrepere marito imperanti, frænum mordere, habenas detrectare: diceres nupsisse virum fœminæ insolenti, qui mos est tenuioris, ditiorem ducentis. Amicus dissimulare, indomitam blandè cogere sub iugum: laxare quandoque impotenti, ne penitus deploraret confactum. Pacatori ergo iam, nec tamen satis modestâ compari, degebat

serenius,

serenius, & sudo fauentium ciuium
 cœlo, nebulas doinesticas temperabat.
 Interim mutuò Amelij sui desiderio,
 crebris litteris augeſcenti, indulturus,
 congressum optatissimum parat: ele-
 ctisque suorum nonnullis, repetit Gal-
 liam: haud dixerim an tacitis Obiæ vo-
 tis adblandiens, an paratis lachrymulis
 ingratus. Ea tempeſtate, Amelius
 aliunde relictâ Aruerniâ noſtâ, de-
 functo iam tunc Patre, ſodalem inui-
 furus, Sueuiam perquirebat; inde fa-
 ctum, vt veriſſima desideria, aberrato
 conſpectu mutuo, fallerentur. Ergo è
 Sueuia Amelius, è Gallia iam redibat
 Amicus, cum inuicem à ſodali requiri
 intelligunt. Amelio quippè Amici ru-
 musculos aucupanti, ſic ſæpè respon-
 debant hospites, quaſi paulò ante eun-
 demmet, de quæſito monuiffent, de-
 cepti ſcilicet errore formæ: nam qui
 Amicum viderant, Amelium denuò
 conſpectum, pro vno, & eodem repu-
 tabant: quod & Amico ſimiliter paſſim
 obuenerat. Longum eſſet exponere,
 Balduine, quos in errores nos duceret
 error formæ. Ab obuio qui forte occurrerat Peregrino, & stipem roganti,

rogat

rogat sollicitus Amelius, si quid, qua
 perrexit, audisset de Amico: ille in-
 tendens, modesteque subridens: benè
 est, inquit, nuper te Amicum, qui
 nescio quem Amelium requirebas: nunc
 iam te alium profers Amico inhiantem:
 exponantur aliorum ludibriis centones
 nostri, tibi tamen, vir splendidissime,
 scurrilis abusus amandandus: nisi fortè
 cum vestibus, & sociis, quos nescio
 vnde cominutaſti tam breui, benignos
 etiam mores denudasti, quibus suble-
 uandæ miseriae studuisti pius. Amelius
 hilarius agnoscit, iam non sibi inuicem
 longè distare, quorum aspectus eodem
 die deceperat mendicum: tunc afflito
 blandus, errorem similitudinis adimit,
 & largioris stipis adhibet solatium: fa-
 ciliusque certior, de loco, ubi nuper fo-
 dalis visus, quaque tendit: eo recta di-
 rigitur. Eodem die, iam ad Lutetiae
 conspectum venientes, Amici cohori-
 tem cernimus procedentem: illa stre-
 pitu nostrorum admonita, (adhibitis
 quippe calcaribus instabamus,) obuertit
 frontem: nec dum satis plenè, alterius
 forma alterum penetrarat; cum prævio
 cordis insultu inuicem clamant, & re-
 lictis

licitis turbatè equis corruunt in amplexum. Quid plura? quidquid olim planities Lucensis spectarat, Gallia nobis denuò repræsentauit; nisi quod imberbes olim, nunc sub venerabili virilitatis insigni, amabilem, genæ mouebant, intuentibus, reuerentiam.

Seorsim confidentibus, & mutuo arcanorum satiatis, id visum aptius, ut Lutetiam ingressi, in Caroli familiam, haud noui se ingeterent: sic fore, vt & Amelius solito apud Parentes, tanti Monarchæ obsequio, se probaret: & Amicus intersecto tantisper imperiosæ coniugis consortio, aut fastidientem perfidè, experiretur, aut amanter defiderantem. Non tantum stuporis à forma puerorum contraxerat olim Roma, quanto, à virorum iam conspectu, perculsa Lutetia. Cæsar inolita benignitate nobilissimū par suscipit Amelij parentes, cum intime familiares, tum consanguineos memorans: & firmissimum copiarum suarum columen, Iouinianum recolens, bellique fulmen. Vix ergo dum impleto anno, captato sæpè egregiæ vtriusque indolis experimento: non absque quorundam è pri-

fclis

scis Aulicis sensu: gazis Amicum præficit, mensæ Ameliurn: huius amœnissimam vrbanitatem, & illius austeriorē iuxta prudentiam demiratus.

Parabat plura Methodius, cum à Domino vocatus, Balduinum suauissimè detentum cogitur deserere: ad quem tunc Balduinus; tu mi homo, ni fidem obliges, soluendi, quæ supersunt, infenso clamuis Amico, hinc non dilcedes; & apprehenso pallio detinebat. Obligauit subridens fidem Methodius: neque id satis vrget Balduinus: sed obligatam cures, quamprimum liberare; ne quem iuuensem, expertus es fortem, detinendo: morosum vt vides, senem, grauando patiaris. Falleris, inquit ille, nam, ne me gratissimo hoc onere liberarem, quo ab exactore meo inuisit frequentius: tardius iam inde soluerim, necesse est.

Leuando simulati Amici fastidio, nullum non mouebat lapidem Abbas humanissimus: nunc occultè delatum syluis domesticis immittebat mitiore cuniculorum venatu, auicularum aucupio, aut piscium, tremulæ arundinis hamo, attractorum, voluptate recreandum.

dum. Nunc Cytharistis, nunc gratori-
bus aduocatis cytharaëdis, latentis ho-
spitis aures permulcebat. Solebat Ami-
cus Lutetiae publicis olim, scholarum
exercitiis aduocari patronus: notarát-
que tunc Abbas, hinc visum non me-
diocriter iuuem delectari. Id ille re-
colens, hospitem suum inuitat, an dis-
sertatiunculæ occultus adesse velit,
quam iunior Monachus Ipei haud pœ-
nitendæ, apud suos, de more Cœno-
bij, erat recitaturus? Amelius, qui hoc
ferculum, non tam suo, quam existi-
mati Amici palato, videbat apparari:
simulationi pleniùs indulturus, non
solum suppressit nauseam, sed quasi
motâ inde saliuâ, nil tunc sibi futu-
rum dulcius, testatus est. Ergo admotus
fenestræ, quæ obducto reticulato velo,
aspectum arceret, aures non impediret,
recitaturum iuuem sperabat: igna-
rus adhuc quantum ibi fælicitatis, sibi
pararetur: iam venerabilis frequen-
tium Monachorum concio, oratoris
sui suggestum cingebat auida: cum il-
le, præmisso prius breuiter argumento:
An Adam diuinis oculis integer; an vero
pœnitens, appareret formosior. Sic incepit.

Iam

Iam Cœlo lucis floribus depicto, &
 terrâ odoris luminibus radiante, Ocea-
 no tandem cirratis vndarum fluctibus
 canescente, vndique comptus orbis,
 sumnum prodebat auctorem: cum ho-
 mo interim, non tam nudus, quam
 nullus: origini quippe destinatur po-
 stremus, honoris primicerius. Scilicet
 de mole microcosmî, megacosmî
 de prelio prouenturus, de morâ captat
 excellentiam: nam quidquid denega-
 tur primæuo, redditur principi: pro-
 ludit in cæteris Deus, quasi arte profi-
 ciat, hominem perfecturus. O quale
 diuini ingenij, si fas dicere, præmedi-
 tantis prodiret ostentamentum, ingenti
 operi impositurum coronidem, cum
 corona? Sordebat pulcherrima quæ-
 uis, pulchriori Adami corpori collata:
 & tamen sordet corpus venustissimum,
 eximiis animæ dotibus si componas:
 imperasse cunctis parum: maximum
 fuit, sibi obtemperasse: Rex suis, sibi
 longè regalior præminebat; cætera,
 perspicacioris mentis fræno aureo; se
 ipsum, gemmeis originalis iustitiæ lu-
 patis, cohibiturus. Ah fælix penitus, ah
 penè cœlestis beatitas, si perennet!

Sed

Sed tamen ruit: & neque de ciuili seditione pronus ad lapsum: neque de rebellione intestinâ, labilis ad ruinam, lubens vltro prosterritur: dumque uxorius litar amori, infaustissimus morti delibatur. Heu dolor! sed non vacat indulgere ploratui: siccis nunc oculis Protoplasti miseriæ, id est lachrymarum illecebræ præternuolandæ: pœnitens potius nodis aspiciendu. Innocentiæ purpuram, qua sub ipsa fuerat nuditate vestitus, hirta pellis subsequitur: saluberrimam Paraaisi temperiem, intemperie regionis asperrimæ commutans. O vitæ poma! ô apparatæ deliciæ, ab ipso Deo cultore, arcani nectaris saporem mutuatæ! nunc herba vilis subditur, desudantis agricolæ saffagine, infecta, dumque metitur, de interpullulantium spinarum insultibus cruentans. Sed & vestis horror, & aëris inclemensia, & vilitas cibi, & reliqua miseriarum turba, corpus opprimens: mel, & rosæ. Intus intus est, quod sæuit acrius, quo penitus anima lancinatur: rebellantibus ignoscit brutis, dum se sibi rebellem recognoscit: brutescit appetitio, quæ vel subdolo

allieat

allicit blandimento , vel despumante libidine ferocit : intestino bello turbatur , pacatum olim , ah, regnum , & in acies diuisum, infâusta quæque portendat , necesse est. Durum sit alios ; infensum semetipsum sibi experiri, extrema, miseriарum, metæ deputetur.

Interim tamen Adam , damno prudenter , illatis vœnis arridens . vnicè de læso numine sauciatur : initantis torturæ longum , vix attendens , præteritæ noxæ breue perhorrescit: & dum fecisse dolet , pati delectat ; dum se sui percutit odio , amoris in Deum excutit scintillas , in has tantum duritiem, sed ilicis , sub tenerrimo iam pectore conseruabat. O quid agis ? imitatür fortè Phœnicem , imò prædocet incendiis renouandum : manserit licet posteris vetus homo ; sibi tamen in hominem iam nouum reformatur : dumque innocentia , (id est æterno doloris sui luctui, æterno desiderio,) acerbo raptæ funere parentat : quodammodo innocentia restituitur.

Huc ergo iam disquisitio illa venit, nec importuna, an Adam pulchrior diuinis oculis in exilio pœnitens , an in-

nocens,

nocens in paradiſo? vtro ſcammate
gratiuſ, fruituro numini ſpectaculum
ederetur? vt riuiſ ſcenæ venuſtior appa-
ratus? Viſa queri innocentia, quod in
iudicium vocetur, ſubeat quæſitionem:
quæ cauſam potius dirimere, quam di-
cere, præſumebat. At dictura tamen
procedit in medium, eretto corpore
procera, candido pèp' culca: & gem-
matis ſandaliis decora, vultu Serena,
fronte nitens, oculis radians, roſea
genis, compta corris: quas ſic à tergo
liberas, leuiter flanti zephyro permit-
tit, ſic humeri concedit fluctuare; vt
interim ad frontem, coronâ è paradiſi
floribus conſertâ cohicerentur.

Sed nemo, inquit, iuerit inficia
ſolum apud nocentes innocentiam in
tribunal poſtulari, poſtulor? iniquos
patior iudices, ſuperabor: ab i ipsa po-
ſtulatione iam cadit cauſa noſtra, ſo-
luminodo apud æquos conſtituta. Et
quidem ab hoc examine, vt temnenda
laurea, ſic etiam ignominia non ti-
menda: tantum de rectâ trutinâ, aut
turpe vinci; aut vincere glorioſum:
Agedum Adame, depone gemitus,
comprime ſuſpiria: leue de me iacturam,

fec ille

fecisse crederis, meliorem de pœnitentia sortem comparatus: quid irreuocabilem me doleas, (etsi fas quædere, ipsius vitæ impendio non dubitares,) quam amisisse, ex horum mente, annumeres fœlicitati? Sed ille tamen dolet impensissimè: dumque iacturam nouit, nescit solamen. O frustra pro Deiparæ id accentiâ, pietatis contumina, conserta toties! pulchrior illa, vnde iam decentior à lapsô sic Parente proueniret: quid labem incurrisse deceat, si adhibito medicamine, recurrit illibatior? pulcher fuerit nævus, cui profuit; nihil tulisset indecorum de plaga, quam postea malaginate prælisset. Quàm hoc pietas refugit, mens abhorret: tam mihi certum suffragium æquitatis. Callidissimus, sed in tua damna, serpens processisti: dum me fugas pœnitentiam! aduocas: inuidus ad blandiris homini; & quem semotum Deo machinabaris, quasi adhibitis machinis admouisti: Sollicitabas ingratum, longè gratiofiorem redditurus. Irem in plura, timeo tamen, ne suspectum ius nostrum reddatur de pacino: haud bona causa est, cui

propu

propugnandæ longa ministrat oratio:
importunè veritatis facem ventiles,
satis de innato lumine splendescit.

Tunc ingenti spectantium fauore,
adstitit Pœnitentia incuruo deiecta
corpore, pannosa sacco, nudā pedibus,
modesta vultu, suffusa lachrymis, genis
pallidula, crinibus lacera, ipso habitu
miserationem cominquens, orationem so-
licitans: pauto post venustā labiorum
suadā extorquendam: deinde sic
exorsa.

Politior dixerit innocentia, forsitan
efficacior suadebo. In iudicium postu-
lor, nec expositulo: iustior causa mea
est, obscura tamen: non semper veritas
natiuo patet lumine, alioquin, unum
solummodo mendacium ventilandum:
fælicior causa est, quæ de possesto titu-
lo, non discutitur: certior, si adhibita
discussione comprobetur. Ut ipso se
nomine victricem præsumpsit Inno-
centia, velitasne magis visa, quam de-
certasse: armorum spreto robore, nudo
iure præsumpserat coronam: fortuna-
tiorem se homini probarat, deberet
utiliorem: si causæ scopum colliman-
dum non vidit, retentæ fælicitati

vt

vt plurimum occæcanti, tribuendum:
si visum fortè dissimulauit vicinus:
diffidit iuri suo, quæ ius inuoluit.

Non eo lis nostra tendit, iudices, an
foret Adamo satius non cecidisse,
quam post casum erigi: stultus neget:
huc enim Deiparæ exemplum acumi-
natum, aliàs hebes: vnde neque la-
psum ~~sūdene~~ seruens heberior ~~A~~ter-
na, fateor, labes est, aliquando vel
leuiter cecidisse: nullo subsequente or-
natu perficies ne sepper sit honestius,
non peccasse: si quid contra conten-
derim, stultescam. Alibi itaque hæret
aqua, de re quidem longè aliâ labora-
mus: Ecquid tandem? an scilicet per
me, talis Protoparens resipuerit, vt
gratior, & pulchrior diuino inde præ-
beretur conspectui? hæc trīca est: sed
illa pro me, facile extricabilis. Non
asperius puniendo numen, quam mite
condonando; nec tam dure pœnas ir-
rogat punito, quam blandè, subrogat
condonato, beneficia. Sacro fisco, de-
positæ magis veniunt reorum opes,
quam proscriptæ, recuperandæ subito
correptis: non crescit cœlestē ærarium
spoliis noxiōrum: sed condolentium

restitutione , diuina Misericordia dite-
scit : prouocans diues , ditior prouoca-
ta : sic quævis eripiuntur cadenti , eri-
gendo seruantur. Aut quid fuerit , ab
æterno , memoriæ diuinæ , adamante
abrasas culpas , credere obliuioni tra-
ditas , ni pœnitenti , amissa cuncta , ite-
rum traderentur ? Humanum , huma-
num est sic condonare . vt vnde Iæsus
sæuor , inde lædens timidior perstite-
rit , priscâ familiaritate , si minus obli-
terata , certè frigescere. Aliter apud
Deum: peccas ? abiiceris : resipis ? æquè
benigno Domino perfrueris ; solide
amicitia redintegratur.

Sed neque id satis : gratior vt plu-
rimum surgis , quam cecideras ; & piâ,
syncerissimi amatoris , technâ , è repa-
rato damno , capis incrementum : dum
que solicitus quæris , quod amiseras ; in-
uenis simul etiam , quæ non pararas :
priscum peculium redit , sed cum fœno-
re : illud fortasse datur , hoc planè red-
ditur : de diligenti curâ , de sedulâ satis-
factione , euadis creditor , iam futurus
fœlicior , dum quod liberalitas offert ,
cumulat iustitia. Pulchritudinem recu-
perat Adam , quam amiserat , ipsoque

inquisitionis suffragio , nouam aucu-
cupatur: iam Petri, iam Magdalenæ, iam
aliorū typus, quibus nō ab amente cul-
pā , sed ab amante numine , processio
fausta; non innocentiae ingenitum; ac-
cītum tamen temporem , incendio fer-
uidissimo scintillans. Quis autem gra-
tiosiorem Protoplastum, non etiam di-
uino conspectui prædicet formosio-
rem? tritīs diuini nomi oculos
toris: non ille exterioribus illis inno-
centiæ folculis , & valenter degentis
corporis , captus venitare: vnicā tan-
tum gratiā rapitur , vno sanctitatis spi-
culo configitur : ubiuis hoc acutius,
& ille punctior : Paradisi , aut exilij
situm non attendit : Deum è se , mor-
talis fingit , si aliunde configat vul-
neratum: ideo neque fomiti frænum,
neque affectibus quies , neque corpori
otium restituitur : potuit etiam absque
hoc comptūs , pulchrior anima appa-
rere: in stadium quippe prodit , cui
otium nocuerat : palæstram init, quem
torpor eneruauerat: antagonistas ferat,
vnde palmas, si velit, reportauerit. Di-
xi. Audiuimus Pœnitentiæ pondera,
acumina Innocentiæ : utri faueatis ne-
scio:

scio : meo sancte suffragio , vicit Pœnitentia.

Dixerat ~~Catholicus~~ Sophista ~~pius~~
 declamator dumque festiuo plausu, ex-
 cipitur ab auditoribus : Amelius, quem
 ab exordio , arrectis auribus , non tam
 res , quam dicentis venustas detinue-
 rat : ad finem vix iam repressis lachry-
 mis abscidi ~~alii cum~~ Sicut pu-
 tare posset, verbis transfixus : nimirum
 velitantis etiam declamatoris oratiun-
 culam , in spiculum ~~terrenis~~ , Deus
 disposuerat. Tunc obserato cubiculo:
 ergo , inquit, è iuuenili errore , è fœdo
 lapsu, si vocanti numini pareo, surgam
 fælicior ; & non parebo ? imo & diui-
 na solicitabo viscera in misericordiam;
 dabo concionatori meo exemplum no-
 uum, vnde pœnitentiae pondera cumu-
 lauerit : recuperet prodigum suum cœ-
 lestis Pater, prodigiosè prodigus ad ve-
 niam; mutet in aliū, ne vltra alias men-
 te , Amico dissonem meliorique parte
 diuersâ , tantæ similitudini obstrepam
 violentus. Faue Deipara inde precanti
 blandior , quod peccati occasione , in
 tantum decus electa coleris. Tunc mul-
 ta intermixtis suspiriis recolenti , id

prius subit, ut Sacerdoti detegat conscientiam: nec in longum differt, sequenti die criminis expiauit ab ipso astatatis iam humanæ rudiimento, & primæ usurâ rationis, refricans memoriam. Deinde sumpta sacra Eucharistia robustior, ea sanctimoniaz posuit fundamenta, quæ satis futuram, quam orbis poster demiratus est molem. spondebant. Quippe vulgarissimo læpe instrumento, nunquam satis mirandas mortalium conuersiones, salutis nostræ artifex solet peragere, Itupente natura, gemente dæmone.

Iam nihil Amelio gratum, nisi quod pietati consentiret: dies, noctes Merizario adhærere, (hunc sibi nouæ militiæ magistrum, ignotæ viæ ducem, Abbatis, seniorumque suffragiis elegerat,) aperire mentis motus, vel leuissimos, nec vel vnguem, à dictis deuiare. Id mirificè Amelium in sanctissimi cœtus commercio recreabat, quod austera in tantum, vitæ rationem, hilari suavitate mulcerent: quod sibi rigidi, tam se comes exhiberent hospitibus; quosque immobiliter Deo vacare noverat, hos externis, de charitate

fate deditos, mirabatur, affectu pari,
 dispari ministerio. Fœlices, quibus hoc
 datum, inquit, ô Merizari, cœlo etiam
 dum viuunt præoccupato: quot virtu-
 tes ad numero, tot stellas veneror; nisi
 quod stellas haud raro sibi inuicem op-
 positas, docet Mathēsis: hīc, virtutes,
 quas putares diuersas, connexas suspi-
 cis. Ita est, inquit. Merizari is, ita est,
 neque prædicta, ex pretiore effigiem
 cogitaueris. Produxit Deus Ameli,
 (huic vnicè, phantasticum sodalis no-
 men iam non ignotum,) nobilioris
 Idææ partum, epilogum potentiae, pri-
 mum cœlorum mobile, cuius ambitu
 contentos, imò contemptos condidit
 Planetas septem: quotidie vix orti
 obtruduntur sepulchro; & qui suo tra-
 ētu ituri perennarent, alieno raptu pe-
 rituri trahuntur: deglutiunt tamen que-
 relas in perpetuum, mobilis primi im-
 perium adorantes. Sed quod se inui-
 cem non includant, quod solis splen-
 dor, puta, Marti subditus, Martem
 non comprehendat: quod Luna Mer-
 curio circumscribatur, neque arctura,
 arctetur; quam ægrè visi ferre, tam in
 vindictam armati, putari possunt: his

sæpè, quasi furoris deliriis, deliquia
fugoris attribueris. Cedite, inquit,
Deis, quid astris, cum castris? Hæc
cœlestis militia, non in re, sed in sce-
lestam stultorum impietatem obarina-
tur. En ego, qui noua omnia facio,
cœlos nouos, in terrâ nouâ, propero
creaturus: circumcinget, instar mobilis
primi, choritas virtutum chorum: ouæ
non se tantum connexæ, concludant
inuicem, sed & ipsam charitatem cîr-
cumuoluant: quo vna iuerit, quan-
tumuis vilior; cæteræ, sunt licet Prin-
cipes, subsequentur. Aspice adolescens
piissime, quanta niteat, in tanta multi-
tudine connexio, quam vna sub tanta
varietate catenatio! trahunt tractæ, in-
cludentes includuntur: hæc in affectus
diffinit Monacho; illa Martyri robo-
ratur in animos; hinc altera contem-
plationi semouetur; impenditur altera
illinc, saluti fratum; sanctæ hilaritati
deuotio indulget: plangit deiecto su-
percilio pœnitentia: zelus calcaria re-
prehensuro versat: calcat quidquid fu-
roris, mansuetus: pungit timor, amor
vngit, & tamen simul concatenatis
amplexibus cohærentes, pennæ alterius

ad alteram diriguntur. Charites factas
dixeris, non fictas: quo vergit spiritus
impetus, discurrunt singulæ, sed in-
terim concurrunt omnes inseparatæ;
& tamen in tanta formarum diuersitate,
in tam alio, ad tam varia, obtutu, aspe-
ctus idem. Prothei non disertam falla-
ciam inclames, sed assertum exemplar.
Cave Tauræ. instant Leonis vngues,
nec tamen pauet: cohibe penñas Aqui-
la, serpit homo tibi connexus; & volat
tamen: cernitur in hac quadriga Chy-
mæra realis, non protano euertenda
Herculi, sed conuertenda diuino. Mi-
ramur rotam, in medio rotæ, vt cir-
cumvoluta voluat, quæ pariter dum
voluit, circumvoluenda. Sphæræ sunt,
cœlestibus mirabiliores, ideo tot oculi-
lis, (vero si fortè Argo, picto certè
pauoni, inuidia,) tot viuis intermi-
cantes stellis, vt ante, & retrò, intus
& foris, vndique colluceant: quasi
sibi inuicem gesturæ morem, sedulò
inuigilent. Hæc Merizarius, tenerum
Principis animum permulcens.

Sed neque iniucundiora cæterorum
colloquia, semper profectum chari ho-
spitis meditantia. Adibat frequen-

Anelius seniorem sanctissimum, quem
vegeto adhuc spiritu, ætas fractior,
diu detinebat in lecto, cùmque ali-
quando plemente traxarus, eò pro-
peraret, audit ab ostio Cygni instar,
sic sibi parentantem.

Jam diu mæsto, satiata mundo,

Pectoris, duros, teneri, labores

Profer, ac fusas anima, ô, querelas

Comitare canso.

Humibi, sauo moror usque terra

Carcere immix; nitidique Cœli,

Dulcis (an fornicum;) patna pererro

Exu', ab oris.

Quando me gratis sociis, remittet

Lapsus annorum? poterò que latæ

Serta viætrici decorata, lauro

Ponere fronti?

Ehibent quando sitibunda labra

Fonte, cristalli latices, amœno,

Et si im pellent, liquidis amoris

Ebria lymphis?

Heu nimis sauo religata palo,

Sacra cœlestis Domini, figura,

Usquequo clarum tibi lumen, atrâ

Sorte negatur?

Téque stellantis, moderator axis,

Quādo complectar? populus, & videbit,

Mentis

*Mentis obscuræ, tenebras fugari,
Lumine misso?*

*O veni rerum dominator alme,
Rumpe iam janas, amno, catenas
Aduolet fælix, nitidos Olympi
Scandere colles.*

*Ocyus ceruu volitans, per alta
Montium nunquam iuga, fugit, at-
que*

*et cœnas nunquam, gelidas petiuit
Fluminis undas.*

*Quam ipse, iucundos patriæ recessus,
Præpeti curju, penetrare pergas:
Donec immensa Triados, perenni
Fonte quiescat.*

*Altius nec, quæ volucrum corona,
Cogit implumes, generosa, pullos
Fulgidis solis radiis, probari
Axe volavit:*

*Quam ipse, sublimem, patriæ per
orbem,
Haud fatigat' volitare pennā
Tenderet, donec nitido locaret
Lumine nidum.*

*Inserit quando se auis, inter almos
Arboris ramos, varioque picta,
Garrulum florem simulat colore;
Dulcissimum unquam,*

Non dedit vocem: modulis canendo,

Quam ipse diffundet: metuens nec
ultra

Sorte repiari: Zephyrum beatum
Cygnus adibit.

Quinque ter lustris, niueos, Olympus

Cynchiæ cursus, totiesque videt

Astra sub fulvo, timidè fugata,

Lumine frarise.

Vere ridenti, toties solute

Fluminia è vincis, ubi stricta duro

Sunt gelu, nollunt liuidum, per
herbas

Soluere vitrum.

Ab dolo! postquam genitus requiro

Quid boni feci. Nihil bene? videntur,

Quidquid, & cernas, oculis puer-

dorem

Mittit inane.

Sapè diuino, violata iura

Principi, cerno: miser hei, satanae,

Terra, sum primâ mihi luce missâ

Castra securus.

Ergo quid vitam positam periclis

Appetam summis? placidus putatur

Ictus, infesta Lachesis, perofo

Pondera carnis.

Dixit: ardentes anime que iecit

Humidas

Humidas inter lachrymas , fauillas :

Ab dolor: visus sibi iam solutus,
Corporis mansit

Namque roranti lachrymâ, repellens
Ignis ardorem : lachrymâisque siccans,
Huius accessu : lenis ecce ludit
Ictus uterque.

Cumque tunc unus satis esset, addens
Altorum curvae cisis novis,

Persistit viuens : inopem doloris.

Copia fecit.

Ecquod scertrum . / ingemens secum p-
citè , inquit , Amelius ,) hæc vnquam
sibi vota comparet ? Sic mors horretur?
heu miseri , qui aliis viuimus , nobis
morituri ! nec ingressus remeat in cu-
biculum : diu , monasticæ vitæ pensitans
fælicitatem : cui inhiaret haud dubiè ,
ni arcane ductu numinis seruaretur ,
è palatio potius radiaturus , quâm
è Cænobio.

¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶

HISTORÆ ELIAE

LIBER IV.

ERGO degustatâ cœlestium dulcedine, (quæ sub his initiis vt lassitudine, & cœlum invenientia, & pennis,) iam priscis nugis sic renuntiarat Amelius, vt maiorem diei partem inveniret, & non inserviret, multum otij reliquerit Methodio, quo à Domini ministerio immunis, aliis provtresseret, impendi posset. Nec id Balduinum latebat; vnde non semel, fidei liberandæ tardum incusans, tandem compellit soluendo: exactorem molestum non aliter vitandum, festiuè admonens. Methodius haud inuitus, refricatâ rerum memoriâ, quibus desierat, sic subnectit.

Per plana excurrimus hucusque, mihi Balduinæ, restant deinde, (quæ alias sperares à palatio?) salebroſa. Agebat id temporis Celinus apud Cæſarem, Almanzoris Cordubensis Regis, legatum ordinum: qui Africâ oriundus licet,

licet, faustiori tamen sydere, natu
 Cordubæ, ex politissimo ingenio, nihil
 punicum, sermone dempto, sapientia
 Nihil Mauro connius, mui humanus.
 Is ergo acceptis tunc epistolis, factus
 certior, Abderrhamem Almanzoris
 primogenitum, ambitis diu nuptiis iam
 potitum, ductâ Doraxâ Aluphchebiri
 Arabum potentissimi, natâ vnicâ: quo
 & principio audianetur, & Re-
 giam nostram festiuor exhilararet:
 postquam diuersis suorum ludis, im-
 pendio & nouitate preciosis, spectato-
 res recreauit mirifice: simulacrum
 duelli, ut mos est Galliæ nostræ, &
 incruentum instituit certamen, in quo
 Equites ex aduerso sibi instantes, nec
 cuspidatæ vulnus, sed hebetis hastæ in-
 petum sustinentes, robur amoto peri-
 culo exercent. Prouocabat ille Gallos,
 urbano quidem libello, sed non molli-
 triduo sibi in palatino foro persisten-
 dum, singulis aduenientium congres-
 furo, ad nouem usque: speratis tribus
 in unoquoque die. Victori sibi conce-
 dendum nihil in Christiano orbe, ve
 Abderrhame potentius, vel Doraxa v-
 nustius: è victo autem spolium repo-
 tandur.

iandum, baccatum monile, quo nullum Hispania nouerat pretiosius.

Exarsit in certamen Optimatum iuuentus, tota albo annumeratis, tamque contentiosè præponi affectantibus, ut iam ludus grauissima portenderet dissidia, pugnas saeuiores. Obstat discrimini Cæsar, edicto cauens, sortito ederentur congressuri: ternaue eductis tenuis, suo oratione admonetans, renqui cederent. Amota ergo seditione, Cælinus pacto tempore, caueam ingrediatur cataphractus: armatura, ut par erat, in luxum magis composita, quam ad robur, inserta gemmis, auro interdistincta, oculis ad blandiebatur, quamvis præstrictis. Equus nigerrimo splendore collucens, niueâ tantummodo notâ ad frontem in signis; quasi percepto favore, totam Cordubam suam vendicaret, pomposè graditur: putares non minus superbire sessore, quam sessorem ipso. Confluxerat vrbs penè tota pulchro spectaculo, vltimis etiam tectorum lineis, non absque spectantium periculo occupatis: aderat hinc Caris purpuratorum suorum corona cinctus: inde Matronæ & Virgines clariores,

riores, Belisandæ throno circumfusa.
Primo iam die, non absque ingenti po-
puli dolore, tres nostri superati, ba-
barorum Principum encomio, iniuncti
subscripsérunt. Eadem sorte, sed ma-
iori nostratium indignatione, secundo
die decertatum. Tertiò tandem, septi-
mus ordine, primus, è postremo ter-
nario, Amelius congreditur; mirum
spectantium rauorem, quin per circum-
venustissimè gyrat equum, aucupatus.
Iam vtrinque parati ad pugnam, in
carceribus vix eq̄iōs actinebant; cùm,
nondum benè percepto litui signo, pro-
filiētes, intentis hastis mutuo se ex-
cipiunt: ad cursus medium, (vbi ta-
bulatum haud longum cæcam equoruī
collisionem prohibens, assurgere con-
fueuit,) inuicem perculsi. Robustioris
lacerti credebatur Celinus, dexteritas
tamen Amelij, vsu patrīj certaminis
comparata, spem haud vanam victoriæ
nostris excitarat: neque fefellit: nam
aduersarij hastam, ferreo vmbone le-
uiter inclinato, sic elusit Amelius, vt
penè, innoxiam transmitteret: cum
è contra Celinus immoto clypeo, to-
tum irruentis pondus sustinere coactus,

paru⁹.

pafum abfuerit, quin equo deiiceretur:
 certè ab ephippio indecorè commotus,
 amobili Amelio, iudicium omnium
 suffragiis cœlit sion imitus: tunc no-
 strorum plausus, immixto Maurorum
 gemitu, festiuor. Celinus victorem
 amplexu pariter, & monili, se ipsum
 vrbanitate decorauit. Hoc monile,
 Carolo summisit hilariis Amelius: ille
 grafulanti natae mandauit ueritatem:
 hinc dicitur Virgini non adeò ingra-
 tum iuuenem deinceps: hinc Aulæ fa-
 bula, Magium antiquu & philtricum,
 barbaro monili sublatere, conciliandis
 amoribus præsentissimum. Hinc Arde-
 rici, zelotypia: hinc Amici monita,
 castigato iudicio saluberrima: hinc
 denique Tragœdia, cuius publicas iam
 scenas, probè nosti: arcana, si quæ
 sunt, sola vulgi temeritas ventilauerit.
 Parabat Methodius Ramberuillæ duel-
 lum, hospiti exponere, (tacito tamen
 Amici stratagemate,) cum Balduinus,
 campanæ ære pulsato monitus, coactus-
 que discedere, iterum nouam fidei obli-
 gationem solicitabat: mi homo, ait
 Methodius, nunc paratus eram sol-
 vere: tibi imputes, si cætera subtra-

xerim: iniquus exactor fuerit, qui alieno tempore, insultet debitori. Tunc comes, atque hilares secedunt.

Effluxerat interea bimelte, & ecce Alcuini industriâ, Legatus à Pontifice: sicut aliorum optimatûm diligentia, à vicinis Principibus, oratores conuenere similiter: omnes litteris datis, prolixiore sermone Amelium excusare; immo & reuerenter, Cæsaris inculare prudentiam: qui vnius Arderici verbis, Auerniæ Principem vinculis, & custodiæ tradendam putaret filiam. Decenter, inquiunt, cum tanto generis agitur splendore, si truncorum littoralis, obliterated exponitur: vix inde plebeis, pecuniâ, multandis, non bene Principes carcere diutino detinentur. Quam deinceps regiam virginem, generis non pœniteat, si inde penè custoditur damnata, vnde improbè, fœmella tenuis redderetur suspecta? Non offendebat Carolum licentia supplcum: mallebat austeritatis insimulari, quam leuioris puellæ crimen præsumi: audiebat gratius, (quidni?) ad pudicam rigidior, quam genitor impudicæ. Ergo se legibus patriis partuisse dicebat,

quibus probi Reges , simius coeteri , at dirigi , par est , durum innocentio , non tamen aut verbis leuem , aut genere obicurum , tuisse accusatorem : satis propterea , ut accusati dederentur custodiæ : hanc autem Amelio violatam , non leue crimen conflasse : quid enim si in vincula redierit ? prohibetur redditus . supplicium extremum : indemnem tamen fugam non renquendam . Fateri se in Virginem inuestigatum saeuiss , quam cogerent indicia : vnde tamen intolutus Regibus dolor , debitam æquitatis mensuram seruare potuisset ? facturum se deinceps , ut iudices , quam potuerint primum , causæ ultimam manum imposuerint : idque dandum Pontifici venerabili , dilectis Principibus , ut ipse , qua deceat mansuetudine , attemperet indictas pœnas .

Aderat Concilio Ermaldus : quo dimisso , festinus ad Amicum , hilarique vultu prius , quam sermone , detulit Oratorum preces , Caroli responsum : notasse omnes sub his moris , non odio Cæsarem fauisse , sed dedecori : nihil iam timori residuum , rebus aperte pe-

nè, in melius restitutis. Degebat tūc sua-
uissimè Amicus, religiosis, Amelij sui,
studiis, quæ à Methodii epistola didic-
rat, gaudio penituum denibutus. Ergo
pugillari postulato, monet sodalem, ut
sub eadem nocte veniret personatus:
cætera, quibus opus foret, exponenda
præsenti. Amelius accepto epistolio,
conuolat in nocte,
pér que occultum otium, quod Ami-
ci rogatu, nondum Ernaldus conclu-
serat (familiarem certis de causis, per-
sonatum, prædixerat, necellario libi
aduocandum) Amicum adit: Metho-
dio non longè à turri interim sperante.
Vbi conueniunt, depositâ iam perso-
nâ, connexis dextris, mutuo se salu-
tant, amplexu arcto, & profusis la-
chrymis, lætitiam exhibentes: quo lo-
co res essent, Amicus suo ordine expo-
nit. Igitur amoto iam periculo graui-
ri, vimbras solummodo discriminis in-
stare adhuc: his Amelium iam tuto,
sed tamen necessario inuoluendum: ne
subita fortasse è carcere eductio, & spe-
ratæ nuptiæ, præsentem nouum spon-
sum desiderarent. Amelius admixtis
querelæ gratiis, quod solum vmbrai

pericolo

periculo redderetur , grauissimorum
insultibus , Amico tandem exposito:
~~commutat.~~ cum ipso vestem : Amicus,
obducta vultui pertona, discessurus, ad-
uocato Ernaldo traditur : qui priscum
suum vincetum retinere credens ; eun-
dem dimittit ^{Merizario} hilaris : suscipit hunc so-
licitus Merizario ^{re} is , errore pari tandiu-
piè del ^U~~reditu~~ ^U~~publicum~~ domesticis
quibusdam , quæ Amico noua , nucus
festiuo risu , dolum magis coniectans,
quam agnoscens : Ecquid, inquit, Ami-
ce optime Iubianaueris : ipse tu , tam
te, puto , Amelium reputas , quam ille,
se meus: sed qualis qualis fueris , vtrum-
que in altero retinuerim. Illud iucun-
dius erit (iam se prodens , inquit Ami-
cus) charissime Methodi , quod Abbatii
amicissimo eueniet , cui commutatio-
ne declaratâ , Amicus, quem sub Ame-
lio crediderat, ipsissimus in se iam exci-
pietur , sed denuo sub Amelij nomine
diffimulatus : ita factum : Abbas quip-
pe , cæterique seniores (uno excepto
Merizario , cui scena aperta vndique)
vt prius Amici nomen in Amelio , sic
iam Amicum re ipsa , sed sub Amelij
nomine retinebant.

Paucis

Paucis post diebus, aduocato legatoru concilio, Iudicū omniū suffragiis in- nocens omnino Belisanda declaratu vtque in integrum, honoris, tamæ, li bertatis restituatur, Patri indicitur: & quod consequens, leuissimam stupri suspicionem, qua temerè laborarat Amelius, euanuisse omnino: violatæ turris crimen, spontaneo iam reditu, pene nullum, latrī diutino carcere pu nitum esse: ideo & Aulæ, & regalis mensæ, ministerio restituendum. Ap plauditur vniāque præcōni faulto, æquis iudicibus, Cæsar tamen, quasi mitiùs agentes, simulatâ seueritate in crepabat: illi nihil, nisi à legibus fa ctum, adiurare; rationes expendere; aduocare iura: & quidem merito, ne è prædictis publicis iudiciis, durius aliquid decerneret, nisi iniquitas. Al cuinus interim, (cuius religiosissimâ prudentiâ, ad exitum fæliciorem, res deducta) modestus subticuerat; tunc demum exurgens, præmissâ dicendi ve niâ, commotâ omnibus, insperatæ ora tionis auiditate, sic incepit.

Faustè implexum negotium expedi ri, aspirante benignius nomine: non

egg

ego vnuis, sed & quotquot conuenimus,
 gratulamur tibi, ô Cæsar: scio, & genti
 quæ in hanc diem suspensa, nihil vn-
 obducta ~~vulnus~~^{accipitrum} iucundius: ad-
 huc tamen, prostratâ iam calum-
 niâ, festiuæ collætantium palmæ,
 leinniscos debes. Nouit orbis non
 aliunde rumori Aulicorum, & furenti
 Arderico ansam datam. nisi quod Ame-
 lium, filiæ haud degenerem spoliūm,
 imò & eligendum tibi existimantes:
 audaciæ potius iuuenem, quam spei
 indulisse prælumperant, & quidem
 temerè tanto splendori nebulas obdu-
 xerunt: sed patienter etiam in Reges,
 ferendus naturæ morbus: nihil facilius
 factum credimus, quam quod augura-
 bamur quandoque faciendum: vtque
 reptante iudicium īdole, opus præ-
 uertimus, sic admittendæ, in execu-
 tionem, turpitudini conniuemus: Be-
 lisandam Amelio nupturam, præsum-
 psit Aula, te locante: hinc audente iu-
 uene, effutiit vitiatam. Ergo & Auli-
 corum rumorem, & Arderici menda-
 cium, non tam præteriti capias testi-
 monium, quam omen futuri. Haud
 bene, Domine, Regia puella alibi col-
 locabi

locabitur: non quod aliis fastidio futura, (cum licet innocentia fœlicior, citra suspiciones, at certior post reatum: nec tantum cœcā adhuc calunnia conciliat infamiæ, quantum honoris accumulat, iam detecta, (sed quod non fastiditura Amelium præsumitur, à quo saltem de vulgari opinione, calumnatoris nece, famam sibi putauerit restituta. Incertas vias, iea ita euénit, ut communis laboris patientia conne-
ctat animos, & tacitum affectum in-
spiret mutuo. ~~xung~~ nuptis, Cæsar, le-
gitimis, quos infamiæ coniunxerat ca-
lumnia: haud impares aliunde iugo
nobili, communis dolor reddidit aptio-
res. Id non Aula tantum, sed totius
imperij Primates ardenter optant: sunt
que vota dignissima (si quid Alcuini tui
arrogas consiliis) quibus non solum an-
nuere debeas, sed celerrimus.

Tunc omnes Proceres, tunc legati
ad genua Cæsaris prouoluti preces ac-
cumulant: venisse exoratuos veniam,
si quid fortasse criminis intercessisset:
Innocentiæ victri ci maius aliquid tri-
buendum: fœlicem diem gaudio liber-
tatis, nuptiis fœlicioribus, mactandum.

Ca. Jlus,

Carolus, quasi insperatis precibus perculsus, tempus requirit rebus dispiciens: nihil se iam in his nuptiis indeco-
 rum apprehendere, nisi quod fortè vi-
 deri possent alicui, intempestiuæ. Quid,
 si quamvis Amelio, non parum inde ac-
 cedat; virgo tamen grandius aliquid
 præsumens, mandatum Patris duceret
 præiudicio, nullum sibi de ea re, cum
 filiâ habendum fermossem, ne forte da-
 ret reuerentiæ Patris, quod libito de-
 negabat: néue aliunde per speciem li-
 bertatis requilitæ coniugio, lædere vi-
 deretur reuerentiam: nihil esse, vbi plus
 parentes filiarum libertati concedere
 deberent, quam in re nuptiarum: nec
 tamen superbienti sexui concessisse vi-
 dendos. Illud, addit, scio, Methildis suæ
 monitis natam acquieturam: Methil-
 dim verò nutibus Alcuini, inde mihi
 impensis probatam, dirigi solitam.
 Tunc Alcuinus polliceri industriam
 suam, matronæ attrahendæ. Prudentis-
 simè rem piissimi viri consilio dispo-
 fuerat Carolus; nec quidem aptius, pro
 rerum condititione, aliquid geri posse
 videbatur: & tamen sub tacito multo-
 rum pectore, indultu, licet sero nuptia-
 rum,

rum, reuirebat prisca suspicio: qui inaurari potius crimen, quam probari ve
recundiam decoquebant: nihilo tanie,
vnquam vel leuiter inculcatu, quo rem
aliter capere viderentur, quam provt
videbant, optanti Cæsari putari ca-
piendam. Scilicet, nihil facilius homi-
nes fingunt, & maximè adulantes, quam
se falli: suspectum magis habueris, de-
cepit errorem, an simulet; quam simu-
lantis versutiam, an erret: eò duceris,
huc attraheris: gestus, dicta, facta, ne-
gotij ignorantiam vtrinque exhibue-
rint, sed sub fallaci affectatione, cre-
brius, & expressius. Sic callidum quem-
que decipiat, aut simulata deceptio,
aut notitia dissimulata.

Igitur dies, qui post prædictum de-
cimus illuxit, coniugio fœliciter mi-
nistrauit. Duxit Belisandam Amelius,
publicâ Vrbis, & totius Galliæ lætitiâ:
quam paulo post abduxit in Narbo-
nem, à socero nobilissimæ, ditissimæ
que ereptæ tunc Mauris Vrbe præfe-
ctus: inde tantummodo amarescente
fœlicitate, quod Amico suo (peractis
enim nuptiis, quibus occultus inter-
fuit, Sueuiam repetierat) priuatus de-

K

gere:

geret: sed & hoc, ceu cætera omnia, supremæ dispositioni numinis comprehendebat: cui piissimo iam corde, nullas non etrum suarum rationes commissas vellet. Mirum est, quantum malis profecerit vterque coniugium: dices non solum mores mutasse, sed ingenium: assiduis precibus benigniorem sibi Deum solicitabant, è separato statis diebus, toro, purius accnactus: coactis scilicet publicis negotiis, ne devotionis otio obstreperet, docuerunt posse non inuitum, cum eximia vitæ sanctimoniam, conuenire palatum: sub purpurâ, sub gemmis, gratius setosum saccum, atque ferreos murices latere: nec superba sapere thronum; sed in cordis summisionem, regales etiam spiritus componi passos. Belisanda pietatis, & misericordiæ operibus intenta, adire templa, nosodochia inuisere, leuare pauperū, aut morbos, aut inopiam, omnibus delitiis prætulerat. Amelius regiminis habenas sic temperauerat, vt clementia commixta zelo, nec impunita vitia permitteret, nec austeriori supplicio indulgeret: in Causidicorum, litibus indormientium, moras, inuectus acriter

acriter, inuigilabat iuri litigantium: &
 & lenta iudicum promouens suffragia,
 celerem causis procurabat
 etiam ipsis cadentibus non ingratum,
 Periuris, fœnatoribus, repetundarum
 conuictis, cæterisque huiusmodi,
 desperata venia, punitis: in reliquos
 (ut pote quos fragilitas magis impel-
 leret) ~~ad~~ ^{ad} ~~in~~ ⁱⁿ ~~longe~~ ^{longe} initius
 stomachatus.

Hinc togæ rebus optimè compositis,
 armorum ne ~~di~~ ^{di} ~~gn~~ strenuus: &
 militari licentiâ in primis coërcitâ,
 Præsidarios olim vagos, diuersâsque
 per domos dispersos, in classes redigit:
 & addictos castris, curat instituendos:
 assignatis Magistris, qui Tyrones pro-
 barent ad palum, qui saltu celeres, qui
 insultu audaces, qui recessu cautos exer-
 cerent: qui fallaci quandoque classico,
 ad insperatam pugnam prouocent im-
 paratos: & commissas copias, sub he-
 betiori gladio decertaturas, vimbratili
 discrimini, committerent quandoque:
 interimque dum canebatur receptus,
 cogebantur suo ordine in castra resti-
 tui, non palantes: vix crederes, quos
 sibi his proflusionibus milites appararit.

Rebus gerendis, duces magis cautos
 probabat, quam temerarios, ardore mi-
 litari. Imperatorum consilio commen-
 dato: Proceres etiā in similia studia in-
 stimulatos, militari disciplinæ addicebat;
 nec aliquem illorum vite donabat
 quem prius vulgaria stipendia non pro-
 barent: nullum legioni præfecit, quem
 ante viuis non volebat. Singulos
 singulos dignitatibus volebat promo-
 uendos: nihil exercitui utilius habebat,
 quam ii iuuenientibus. Sacramento
 obligata, daretur albo: nobiliorum
 virtuti, auitum splendorem mirè con-
 ducere, nec his facile admittendum de-
 decus, ratus: quos decolor macula tur-
 pius fædaret. E contra vero nihil pu-
 tabat militiæ calamitosius, quam si de-
 merâ nobilitate probati duces, subito
 Magistratui aduocarentur: vnguentis,
 & rosis assuetos, ferè semper martiali
 pulueri, & campestribus sudoribus im-
 portunos: quis enim repente ab illis
 deliciis, his horroribus credatur suffe-
 cturnus? aures lyris, & cytharis stupidè
 emollitas, non tam excitandas speres
 cornibus, atque lituis, quam obruen-
 das: nunc sæpè percussa eorum terga,
 neque

neque aduerso pectore vulnera pretiosa : feriri sibi faciem timent formusculi : dolebis in vnoquoque ignauiae, nequitiaque sordibus imbutum , posten-
tum nobile.

Publicis curis non' ita addictus Ame-
lius , vt passus obrui , incuriam sui co-
geretur subire. Singulis diebus (quod
dixeram) sibi opportuno tempore ser-
uato, tacitæ cœlestium meditationi, li-
bris sacris,& prudentioris alicuius col-
loquio, vacabat sedulò. Adduxerat se-
cum Merizarium, cuius morum graui-
tate , amœnitate ingenij , nec vulgari
litteratura delectabatur, hic nullo par-
cens labori, assiduis, nec tamen intem-
pestiuis monitis , commendatos sibi,
tamquam à Deo Principes , in omne
virtutum genus , satagebat euehere:
monens identidem , è Principum reli-
gione , subditorum salutem , non mi-
nimè pendere : vix à populis , pœna-
rum imperio , virtutes vnquam extor-
queri , quas blandè gestorum exempla
insinuarent : curarent his dotibus col-
lucere, publicis quodainmodo , quæ in
Principe , non absque nota , desideran-
tur: non tamen iis tantum contenti fo-

rent, sed aliis insuper, quibus priuatæ
vitæ ratio commendatur: ab illis in
alto editis, captatâ admirantis orbis
laude, in populos exempla dimana-
re (vnde enim imitandis stimulentur,
sub angusta conditione, quæ so-
lum potest capere thronus augustior?)
ab his autem commoueri ardentissimè:
quas hominum potius, quam Regum
subnotantes, temere nudi utipicandas
præsumerent: vt pote non tam sceptri
priuilegio singulari, quam communi
natuæ deputatas conuictio: addebat
insuper, non vnius, alteriusque com-
mercio assuescerent, sed omnium vir-
tutum chorūm, vt latebat in animis,
foris', prout occasio ferret, exercent
vicissim: nullas sibi virtutes contrarias
esse, quamvis illarum opera quando-
que inuicem sibi cedant, dissimulato
potius fulgore, quam disiuncto.

Afficiebant ista Amelium, qui
aliunde crebris Amici epistolis, con-
scendebat virtutis arduum, indies fe-
stinatione: modestusque, Belisandæ po-
tius merito, quam labori suo, volebat
tribuendum, quod in arduis prona,
quod blanda experiretur in asperis,

Hinc

Hinc se ignauum despovere, Amicum suum suspicere, quem nec tam disparis consortis ingenium à perperuo proficiendi studio, retardabat, vel minimum. Et quidem, ut non parum Amelio contulit vxor concors; sic multum discors Obia commendauit Amicum. Immane, quantum urauit servens collidus, ~~parvus~~ potius, quam blandiente, Amici virtutibus obstrepere, & purissimæ funestare conscientiam paradisum: sed frumenta tam, grandius ab illo Deus in orbem meditabatur exemplum: Inculcabit id saepè, apud dominos, Merizarius, haud vulgaris, à numine, beneficij loco ponent, quod se mutuò, coniuges, spirarent: vbiuis hoc donum magni; sed apud Principes maximi ducendum, quorum reciprocis affectibus, nescio quomodo maiestas, sed sacrilegè, intercedit: hinc non raro inlicitis aliarum amoribus defixos Reges: Reginas immeritæ zelotypiæ doloribus distortas audias. Et planè improbè, subdit Merizarius, vel ipso primorum Regum, & coniugum exemplo condemnandi. Cætera omnia, quasi de fastidio, leuis-

tantummodo verbi dignatione, con-
 didit Deus: vni homini, manibus,
 oculis consilio, affectu, de dignitate
 sollicitus incubit. Limum ipse mollit,
 deducit, singit, perficit. Sic affabre
 delineatum corpus, iam ex se videretur
 satis, ut efformatis antea rebus omni-
 bus, anima nec deformis haberi possit:
 & quale iam participatione spiritus animatum? amo-
 to quo quis alio satellitio, regiam, de-
 speciositate, tar exhibit di-
 gnitatem: nec tam verbo, aut scripto,
 subditis irrogatas leges cerneret, quam
 occulto penè philtro, subdita bruta
 trahi, seu squammosa maris, seu vil-
 losa terræ, seu aëris pennata, quasi
 à minimo imperaturi cilio, obtempe-
 ranter suspensa. Et tamen fastidiosas
 Adam traheret oscitationes, nauseæ,
 dissimilibus cæteris attributis, nisi illi
 consimilis naturæ, daretur consors.
 Ergo ne reparandus iterum limus, fin-
 gendum denuò lutum? imò similitudo
 affectatur similior: obducitur Adam
 sopore, & dormienti abducitur costa,
 fœminæ construendæ: fit Eua marito
 concarnis, sed & vnanimis: nam di-
 uini

uini spiraculi partem , quod animando
viro Deus impenderat , seruasse visus,
Euæ indidem animandæ. Inde sacro-
rum Mystarum pulchra interpretatio,
exarsisse numinis iram in maritos, qui-
bus forent despectui vxores , quæ ta-
men , illorum spiritus viuerent residuo.
Educuntur igitur coniuges Protoprin-
cipes concordorei ~~animis~~ , qui-
bus daretur vñitas, licet diuisa; diuisio,
sed vñita : par absque numero , aut ad
binarium reducta singularitas. Cauen-
dum tamen , ô Domini , ne plus nimio
affectibus indulgentes , purioribus cœ-
lestium amoribus animas intepescat:
impingitur sæpè his scopulis , hæret
nauis , experta etiam , infaustis breui-
bus. O quot se pictos ex humeris por-
tarunt , dum his conniuent ? præeunt
etiam miseriæ protoparentes : ex osse
duro, fœmina delicata conditum, mollis
virguncula : pro quo flaccida pulpa
obtruditur sexui duriori : futurorum
ænigma editur , vel præsagium : vxo-
rius nimirum maritus , omni fœminæ
euiratior , sic puellæ fastidia trepidatur
rus , vt eius irulæ , diuinum furorem
posthabeat : ablegatâ , cum duricie,

costâ, & delegatâ, cum osse potestate,
molles seruitutis spiritus sortiatur, car-
nea laxamenta : Eua autem, quæ duro
voluptatis imperio, duriori metus
iugo, ignavum virum domitura erat,
ossea construitur. Cae Princeps, pace
dominæ, ab hac peste : caue Domina,
bono viri, ab hoc ingenio : periculo-
sius laborabit iste, te pellaci, quam con-
sumaci Obiâ, Amicus noster.

Hæc Merizarius, quâ debebat, ex
muneris instituto, libertate: nihil sibi,
nihil suis, apud Principes ambibat:
profanis immisceri negotiis exhorre-
bat. Quid enim, (solebat ille dolens
expostulare.) Dynastarum confessatio
cum politicis? quid spiritûs rebus pa-
catissimis cum tumultuantibus curiæ
conciliis? aut vnde Principum con-
scientiis irradiauerit, quem nubila tot
turbanum inuoluant? Charitas in id
propemodum cogenda, quasi inuita;
iam meritò suspecta, si se inuitet vltro:
non ducet in editum sanctitatis, alios,
qui serpit adhuc: at serpit necessariò,
si quid cupiat: timebit reprehensione
exasperatum, quem optatis beneuolum
solicitat: nec audebit relabenti, si
fortè,

fortè, aut proteruo, absolutionem criminum denegare, qui munericis absolutionem, in damnis numerat: aut vnde se præstabit iudicem, qui reatum præsumperit, si displiceat? At qui rerum conscius sit, necesse est, cui rerum Dominus subditur: egregiè; quasi non nisi, aut ambitu, aut turbellâ, rerum similiū comparetur notitia: aut onus dulce dirigendi spiritūs, non nisi sub honore amarissimo, condiendum. Aliud, aliud est; iam sub phantastico titulo, onus subtrahitur, aditur honor: nihilque minus agitur apud Dynastas, quam in id, confessarios admitti, quo vocantur: umbra religionis aliquibus affectatur, & sub prudentis monitoris specie, egregium sibi coëmunt palpatorem. Sic ille pro illius æui conditio-
ne: gratulandum, dum utilius, præ-
senti hoc nostro sæculo res tra-
etatur.

Fœlicius gestæ Reipubl. pax inhæret, rari bellorum tumultus, ciuium mores, sub optimis Principibus, compositos, inquietant. Excubabat Amelij Prouinciaæ Deus, dum ille diuinis præceptis sedulo incumbebat: cumrulauit Prin-

cipis fœlicitatem vxor fœcunda virili prole, quam penè per biennium suspirarat: nec dum plenè exacto anno, secundum enixa puerum Belisanda, dominum hæredibus stabiliuit, Carolum optatis nepotibus exhilarans. Vtrumque partum, datis gratulatoriis epistolis, Amicus celebrarat: quibus absentiæ impatiens Amelium decipiebat potius, quam solabatur: tot scilicet desideriis, solummodo conspectu mutuo, reueandi: Augebatur indies paruulorum pulchritudo, & iam cespitantis linguae balba garrulitas, arctius Parentum affectum conciliabat: iam minor penè biennis, trepido gressu Matri ad blandiebatur: firmioribusque vestigiis alter, arundini inequitans coæuorum comitum ductor, equestria parentis vestigia, Aulicorum applausu, mentiebatur. Nec tamen interim Amelio voluptas solida, cessante scilicet octo iam menses, epistolarum officio, ab Amico. Duro bellorum incendio conflagrabat Germania, ac Lotharingia in Cæsarem rebellis, tabellarios pridem commeantes, nulla non arte intercipiens, scribendi retardabat commercium.

mercium. Aliunde Hispania, ad Pyreneos etiam oppressa Mauris, suspectam viam reddiderat commeatui : nihil Amelio durius poterat obuenire, cui charissimi sodalis vultu denegato, etiam epistolarum adimebatur leuamen, quo penè totum sexennium, spem fefellerat. Hinc substrictius degere, multa conueluere, iurias quandoque lachrymas demirari : dices aliquis præsagæ menti funestum adhæsse.

Interea dum aliquando in ædium inferiori diæta, vrgente æstate, prandens meridiaret : audit ab exteriori atrio, crepitum tabellarum, quo tunc temporis, leprosi mendicitatem testabantur: vtque erat pius, in misericordiam commotus, missum mendico parat. Vtebatur princeps poculo illo aureo, quod à Pontifice, in amicitiae tessera acceperat, nec vñquam à mensa (nescias an leiando, an augendo Amici desiderio) amotum patiebatur. Hoc igitur vino plenum, lancemque auream scitissimo edulio cumulataim, misero mittit: neque id mirum: solebat benignior saepe, & hostales mensas Regiae adhibere, ac pietatis ardore,

præmorsus.

præmorsas ab illis ciborum, (iam in
 exemplar sanctissimo Ludouico desti-
 natus) gustare reliquias. Rediit non
 post multum, attonitus Pincerna, qui
 detulerat : ecquid tam alius accedit,
 inquit Amelius, quid noui, deductis su-
 perciliis, nobis affers? nec iniuria, ô Do-
 mine, ait iste : quod enim de te, Ami-
 cōque audieram s̄epe, neminem sic fui-
 lyncæum, qui admotos discerneret:
 idem mihi propemodum euenit, admo-
 uenti hoc tuum poculum, cuiusdam alij,
 quod inter vilissima, vilioris grabati-
 stragula abscondit mendicus, ea est
 luorum vnitas: hæsi diu, vtrum elige-
 rem, & altero alteri obstrepente, delu-
 sum me credebam: certè nescio quale
 geram: scio tamen in vtrouis, & alte-
 rum, & vtrunque æstimari posse. Tur-
 batur audito puer, Amelius: pocu-
 lūmque illud Amici sui esse; haud te-
 merè præsumens, foras erumpit. Iace-
 bat grabato humili, rotis depressio-
 ribus versatili, viuum hominis cadauer,
 pannosis tribus, aut sociis, si habitum
 attenderes, aut famulis, si reuerentiam,
 tipatum. Amelius agnatum iam pocu-
 lum artrectans: at, vnde inquit fili, do-

num hoc rarum? absit enim, vt te fur-
 ti coarguam: sed eò ne inopiæ deuenit
 Amicus meus, inopino aliquo bello-
 rum insulta, vt leuandæ mineriæ tuæ,
 nonnisi præbito, similitudinis nostræ,
 symbolo sufficeret? Ingemuit tunc
 mendicus, famulis, cohibitæ diu la-
 chrymas, iam laxantibus. Stupet denuo
 dubius magis princeps, & obtutu in
 seniorem è tribus, attentius defixo, Bei-
 nardum (fuerat hic Amico semper,
 quantum Amelio, Methodium fuisse
 diximus) licet sub tam diuerso habitu
 recognoscit: ecquæ tam noua species,
 exclamat, mi Bernarde? qualem te ha-
 beo? imo qualem, ait ille, Amicum
 tuum: qui iacet, ille ille fuit, ipsissimum
 credas potius, quam agnoscas. Substitit
 immotus Amelius, cupidis, amplexūs,
 vlnis obrigentibus, vixque sibi reddi-
 tus charissimo incumbit, neque stra-
 gulorum fordæs, neque vulnerum sa-
 niem, neque morbi pertæsus conta-
 gium. Accipe ingemebat, ô dolor,
 quas pœnas merui, obstinatus non
 credere præ sagæ menti, quæ toties, ar-
 cano motu, ad absentis memoriam ex-
 horruerat. Cur nō erupi, principiis ma-

lorum obuiaturus? O te fidissimū Ame-
 lium! par pari referes Amico: prædiuinia-
 to darro tardam opeim, aut Lotharin-
 ga rebellio , aut barbaræ ad Pyrenæos,
 phalanges , decore excusauerint : quasi
 qua ille venit , tu saltem dissimulatus,
 ire non posses: aut non immanius aspe-
 tus iste vitam eripuerit , quam hostilis
 rabies. Pluribus, neque turbata dolore
 ratio, nec verba crebro singultu, suffice-
 rēt interrupta. At Amicus, quem præter
 morbi sœuitiem , itineris agitatio penè
 confecerat , vno verbo : En , inquit,
 lætus deinde defungar , qui te vide-
 rim. Prodierat iam Belisanda , quæ
 paribus pietatis affectibus , quantum
 sexūs modestia permiserat , hospiti in-
 indulgens , Methildique suæ curâ paran-
 di cubiculum delegatâ , interim ægro-
 tum in diætam transferri rogat , lesto
 tumultuariè licet, condignè tamen stra-
 to, acclinandum. In id tantum , Ame-
 lius visus constasse sibi : serico pallio,
 quam potuit mollissime , sodalem in-
 uoluens , è grabato subductum suisque
 commendatum vlnis, portat in diætam:
 admonens obiter Methodium , ne sibi
 iterum oculos , Bernardo , sociisque

indecenter

indecēter indutis, dolere pateretur. Methodius sodales sibi priscos iā satis recolens, & fortunæ ludibriis expositos cominiserans, balneo parari iuslo, lotos, vngtos, & decenti habitu comptos, adhibet epulo. Iam famuli, ductu Methodidis, cubiculum eo luxu apparant, quo pretiosius, exciendo Carolo, vix possent: cum Medici adhibito leuioris lauacri fomento, paratâque sorbitiunculâ Amicum recreantes, domini sui brachiis iterum deportandum commendarunt: nec enim piuum gratissimi oneris laborem, totius orbis commutaret imperio.

Subita hucusque turbatio, totius fere palatij sensus hebetarat, solummodo diuersis pietatis ministeriis impensissem, & Principes, & Aulici incubuerant. Amico autem iam condigne locato, & sociis prisco splendori restitutis, tunc plenior stupentes penè spiritus peruadit admiratio: tunc inter se mutuo inscij disquirere, quale hoc fortunæ ludibrium? quæ rerum facies? nec tam facta tractasse, quam ficta voluifse somnia sibi visi. Putaret id aliquis è tam edito, tam improuisâ ruinâ la-

psum Dynastam , nouumque Iobum è
 throno in sterquilinum d'educ'i potuis-
 se ? reptari potius, quam grabato vehi,
 quem Regius currus nuper exhibuerat ?
 eandem formam , & parem penè for-
 tunam , tam aliam , ab Amelio disside-
 re ! Adsidebat vñus Amelius Amicile-
 to , prehensaque non absque lachry-
 mis eius dextrâ , cuius interruptâ pelle,
 vix articuli , nervis compingebantur.
 Ecquid , te inquit , tam ab illo muta-
 tum cerno , Amice iucundissime , quem
 togatum Gallia , quem Suevia admirata
 est paludatum ? an bene te abiectissi-
 me pannoso , purpuratus diu insedi ? an
 congrue me edebat quadrigæ nitor,
 cum Amicum , grabatuli rotati pædor
 portaret ? decore , vita , nuptiis , à tè mi-
 hi indultis , fruito , tu mendicus prope-
 ras ? & durauit spiritus iste pertinax in
 conspectum , nec sæuus , pridem dolo-
 res intercepit ? vnde vñitati priscæ , ad
 miraculum factæ , mirabilior diuersi-
 tas , Amice ? an Obiæ impietas in tan-
 tum sæuiit ? Amicus subrauco gemitu
 commixta verba confundens : longa,
 inquit , est iniuria , ambages longi : ne-
 que capiti soporis indigo , & tantisper

compo

nendo , nunc satis virium , in mutua colloquia , mi Ameli : patere quiescam paululum : altius deinde expositâ tragœdiâ nostrâ , piissimum tibi pectus lancinauero : imo si tanto ardore , in casus nostri notitiam impelleris , Bernardum aduoca , consciū totius : latius ille exposuerit , quæ à me frustra sp̄eres narranda , nisi tumultuariè . Ergo hospitem , captando somnulo , compositum relinquens , in hortum descendit Amelius , confidenteque uxore , adhibitis tantum Methodio , atque Methildis ; rogatōque Bernardo , ne quid vel leue , tantæ scenæ prætereat : medium misericordiæ , stuporisque affectibus vultum , dicturo iam obuertit attentissimus . Bernardus parataī narrationem sic aggreditur .

Doluisti iam pridem , Princeps optime , & verbis , & epistolis Amici tui monitus , Obiæ perfidæ ingenium , superbam indolem : nihil , illâ vnquam impotentius , tulit sexus fœmineus . Nullum non mouit lapidem Amicus , quo si minus omnino domita , (hoc enim à principio desperarat ,) saltem sibi vteretur dociliori ; sed nullo operæ pre-

cio .

tio. Sic habenas maritus temperarat,
 ut sæpè officiosus, raro seuerus ducere
 tentarit: illa tamen officiis effrænator,
 seueritatem indignans imperium detre-
 stare: hinc dissidia, hinc iūrgia: quæ
 tamen dum domestica, coniugum ma-
 gis animos, intus adhuc, quam ciuium
 foris, commouebant tumultus, fe-
 renda vtcumque: ubi verò turbata ci-
 arium studia exarsere, irreparabili penè
 damno, vel simulata coniugum quies,
 vel dissimulata discordia trahitur in
 ruinam. Amicus mitissimus licet, sed,
 ut par est, iustus, publicis nonnullo-
 rum sceleribus, deplorato aliunde re-
 medio, extremum quandoque adhi-
 bere supplicium coactus, ferebat æger-
 rimè, appellatæ Obiæ intercessione,
 indemnes noxios. Obias vel quod hinc
 potestate in præsumeret, vel quod ac-
 ceptis muneribus frangeretur, libitum,
 oppressis legibus præponens, aut reos
 contendebat innoxios, aut manifestè
 conuictos, debit is pœnis eripere, per
 speciem clementiæ curabat. Hinc ef-
 frene vulgus, Obiæ proteruiam depu-
 trans pietati, Amici increpabat sæui-
 tiem, Gallicum, & cruentum ingenium
 perperam

perperam interpretans: Tyranni penè aduenæ, & in legitimam dominam, inuecti, incusatâ licentiâ: inde iam mariti vñbrâ cultâ tantummodo, præceps, solius vxoris, adorabat imperia. Leue tamen adhuc istud dicendis compositum: sterilitatem deprecans Obias, non tam à in successionis amorem, quam in mariti odium, festina, intempestium hæredem sibi parat: aduocatisque populi Optimatibus, Landulphum quendam, neque sanguine ita proximum, neque iure admittendum, in filium adoptat, designat in hæredem: prætermisso scilicet paruulo quodam, quem patruus defunctus nuper, reliquerat primogenitum, cuique iura gentium, & leges patriæ patrocinabantur. Optimates impiis Obiæ votis annuentes, commendare electionem, & suffragiis iuramento firmatis, fauere Landulpho, hæredem recognoscere.

Amicus electioni, tot titulis illegitimæ reclamabat; nec desperandam sibi sobolem, ætate adhuc vegetâ inculcans; neque hac denegatâ, proximiori pupillo immaniter expuncto, Landulphum, contra fas omne, obtrudendum:

Irrideb.

Irridebat Obias iam superbior , coniurantium suorum fauore tuta , mariti verba ; procreandis si forte , filiis nihil , inquiens derogari : hos necessariò , naturæ ipsius iure , frustratâ priori adoptione præferendos , vmbratili imitatione , per veritatem solidam , euanscente : de cætero sibi , suisque curam successionis incumbere : nihil marito extraneo , cum alienæ Prouinciæ hærede deligendo . Ergo Landulphus arrogantis indolis adolescens , & populi gratiâ , (orienti de more Soli per obeuntis despectum blandientis ,) & Obiæ studiis elatus , Amicum , domi semper ingratum , iamque tunc foris , sic despexit , vt nihil deinde reliquum nostro esset , nisi durissimam familiam deserere . Id iam paranti , atra bilis contracta tandiu , febrim excitat : nec dum triduo decubuerat , cum adusto iam penitus humore , tumet in pustulas , hásque infelicissimo apud medicos præsagio , subliuidas ; quæ suppuratis breui membris , in horribilem ulcerantur elephantiam . Iacet itaque Amicus superstes sibi , quem solummodo gemitus crebrior , à cadauere , & putrido ,

trido, & vermibus scatente, vix discriminet: frustra tamen narrato morbo aures fatigo, quorum oculos, atrociori aspectu, vidi caligantes,

Crederes initio morbi fœminam tunc in aliam commutatam, adstabat lecto, paratis lachrymis condolens afflito: sorbitiunculas, demisso fainularum ministerio ipsa parabat: è medicorumque vultu pendens hianter, ad singulorum ulcerum tactus, imò ad continuæ plagæ aspectum exhorrebat. Sperabat verluta indoles, breui discensuri mariti tœdiis liberandam: fictaque pietatis imagine, tantæ obsecuturæ infamiæ præcauens, obuiabat; quasi cæteris vitæ noxis, mendacissimo, in extremum morbum, officio, obuelandis. At ubi morbum diutinum, & ex illorum genere audiit à Medicis, quibus longior vita, omni morte horribilior, cedit in pastum: tunc iam impatiens moræ, laruâ depositâ, non qualis haberi voluit tantisper, agit, sed qualis erat. Adibat raro miserum, vultu torua, verbis pericax, explora-tura credo, an in mortem ocyor: iacet, quia in medicorum prognostica nuntia-rent:

rent: tunc solum damno suo, haud fal-
laces, horum damnans coniecturas.
Quin etiam Astrologis, bipartitâ im-
pietate consultis, nec satis ad gustum,
ut potè non ita celere in exitum ominan-
tibus, benignos astrorum aspectus, in-
faustis lucis deliquiis, deuouebat. Nos
infelices, (tres tantum è domesticis,
quos secum duxerat Amicus, supersti-
tes eramus,) quibus ad Dominum, etsi
non infrequens erat ingressus, nullus
tamen secretioris colloquij usus permit-
tebatur: hæsimus diu, quo tandem
verteremur: audiebamus parari iam à
fœminâ venenum, nec erat, cur non
ituram, ad beneficas, crederemus, quæ
eiusdem penè farinæ Astrologos con-
suluerat: imò, quæ aliquando furore
percita, maritum suffocasset, ni pedis-
sequæ indignum id, non solum pietati,
sed etiam natalibus, admonenti, paruis-
set. Igitur eripiendum ab immanissimâ
Dominum familiâ vnicè tentandum vi-
debamus. Sed qua via? vires nullæ,
quid enim tres in populum non me-
diocrem, instimulante Obia, resisten-
tem? industria vana, tot illa, cubi-
culo, custodes adhibuerat, ne quid
secretius

secretius ageret nobiscum. Sed esto donis, promissisque custodiam falleremus, vel fælicioris alicuius mentis industriâ: tumultuariè tamen , pérque summam rerum turbationem, furtum , dum faustius succederet , perageretur : at ægrotantis corpus haud ferret subiti raptus gestum violentius , inter portantium manus expiraturi; nullo, aut mollissimo tenore lacera membra tractanda : quem tamen adhibere, non est insultui repentinio. Sub tanto æstu , benignioris numinis aurâ, processit consilium : à Landulpho, (quis speraret ?) aliquid nobis prosperum auguramur , desperatōque negotio fælicem exitum. Re ergo cum sociis mutuò expensâ , iuuenem adeò, quām potui summissè rogans, è domus turbâ , in hortum , vel cubiculum secretius furtim secederemus , esse nonnulla utrique in primis necessaria , quæ amotis arbitris , venirent discutienda: annuit ille : seorsimque in hortum, quasi conuenturi fortè , commeamus; inde densioris syluæ vimbris , inuestum sequor , iussusque sibi assidere , ista profero.

Suspecta tibi sint fortè , iuuenis in-
stolqsb L clyte

clyte, verba hominis, quem aduenam,
imò & Amici, (rebus tuis, infesti,) agnoscis totum: veruimtamen eo can-
dore itatuo proferenda, vt tibi etiam
cautiùs hæsitanti, plana vndique, nec
leuissimè capiantur obliqua. Quo te
fors duxerit, habes certè non inuidum,
imò, (eo res deuenere,) gratulante:
quibus si minus fidas, monitiunculæ
camen, te, neque coactum, assensu-
rum, audeo polliceri, cui ætas imma-
turiæ, non nisi præmonstratæ, possit
attendere. Nosti Obiæ artes, non tam
in tui gratiam, quam in mariti tædium,
versatas: nec tam promouendo tibi,
quam studere coniugi deprimendo:
constat tibi Landulphe, hæreditas,
quod reris minimè, laboriosâ, Domini
mei vitâ: hoc sublató pericitentur tua
necessæ est: an putas fœminam ætatis
adhuc virentis, successionis auidam, vi-
duo, in tui gratiam, lecto acquieturam?
an non secundis nuptiis inhiauerit? an
susceptæ inde proli, adoptionem tuam
non iugulet? aut credis, retinendo ex-
traneo, ingenitos sibi partus expun-
gendos? ineptissimè spem foueas; &
male collocatam, ni sapis, iam serus
deplora

deploraueris. Habes hæc vera Landulphæ? immò verissima, attonitus nouitate, inquit ille; at ego, non tibi, subdo, hæc excogitaui, fateor ingenuè, sed Domino studens, cogor tuo bono, damnum euitare. Amicus scilicet, deploratâ iam vitâ, sed morte tardiore, te stabilit: sub hac mariti umbrâ, à quo nec sibi sobolem, nec uxori coniugium secundum pertimueris, hæres firmaris. Quid ergo misero infaustissimam vitam non tueris? quid in utilitatem tuam, homini semimortuo, diuturniores halitus non solicitas? semel ineuitabili, quod medici testantur, detentus morbo, conualeat, non præsumitur; morti celeriori addictus, te detruncat: nec tibi, non in miserum pietas, sed solicita rebus tuis commoditas sensum extorserit vix credidero. Ergo age, ingenuè adolescens, parato veneno, cuius iam fortè conscius fueris, non solum Amico vita, sed & tibi hæreditas interdicitur. Sed vnde, inquit ille, (iam probè re intellectâ,) impendenti sic damno, Bernarde obviauero? tunc ego, (subtractâ, vultui, hilaritate, quam conceperam, haud diffici, inquam, exitu, te tuebe-

ris. Instant festiui ludi , Nordlingæ celeberrimi , da operam , per officij speciem , eò tædium leuatura commeet Obias , relictis interim tuorum fidissimis , qui paratâ custodiâ , mihi faueant: reducam in patriam Dominum , non , desperatâ iam salute , vt vides , sed diuturniori spiritu , sub aëris temperie natiuâ , fruiturus : ibi ab vxoris tuto insidiis , vxore interim curis , & annis ingrauefcente , coniugium suspectum cuitabis . Visa hæc , boni numinis afflatu , Landulpho commodissima . Ergo & matrem nil tale formidantem , solicitat in ludos , & abducit Nordlingam . Nos interea fauentium Landulpho operâ , rem dirigimus , & parato delicatissimè currui , subductum furtim Dominum exponimus , gemmarum pretiosissimis , & idoneo pecuniarum instructi commeatu: maiorib[us]que , quam morbus pateretur itineribus , Sueviæ saltem peragendæ studemus : ac experti cœleste auxilium , peragimus . Quid redeunti Obiæ , quid Landulpho euenerit , nondum nouimus , (sibi gens immanissima habeat , quæquæ meretur ,) nec certè an epistolam viderint , quam manu mea scriptam ,

scriptam, sed Amici verbis dictatam,
 & eiusdem obsignatam anulo, reliqui-
 mus: vellem retinuisse memoria, sed
 seniori iam labilis, neque apud præ-
 sentes, prudens Amici modestia, deside-
 rat testimonium. Certè ita est, ait Beli-
 sonda, tu tamen epistolæ saltem teno-
 rem, fac recolas, ni verba possis: fœ-
 minam, cuius sic pudet, mariti dolore
 traductam, libenter audiemus. Bernar-
 dus, attrectatâ paululum fronte, sub non
 certis verbis, inquit, ipsissimum illius
 sensum, iam do, ni fallor.

Amicus Obiæ coniugi. Non miror
 si te fœminam, neque ita strenuam,
 dolor & tædium ulcerati mariti eo im-
 pellerent, vt eiusdem præoccupatâ
 nece, & misero labores, & tibi cre-
 deres amouenda fastidia: simile non ra-
 ro infortunium, viros etiam, quos for-
 tes, nemo non haberet, pari furore
 armavit in se ipsos: sed quod rueres im-
 pulsa, quod male suadæ menti succu-
 bueris, nec officiis nostris victa ne ce-
 dens blandimentis, doleo acerbissimè.
 At testor punientis Dei dexteram, cui
 lubens subdor, in tanto casu, sæuius
 noxâ tuâ pungi, quam cruciatu nostro:

hic nimirum aut soluet, aut foluetur:
 quantus enim est modo, non adhuc
 ultra vires, ideo ferendus fortiter, pla-
 cando numini: augescens, si forte, op-
 primet fælicius, coronam allaturus.
 Non ita culpa, qua premeris, quæ ni re-
 sipiias, & viuentem fœdat, & torque-
 bit defunctam. Frustra refricem me-
 moriam blanditarum, quibus me olim,
 aduenam ambiisti ad nuptias, & absen-
 tem deinde revocasti ad thalamum:
 quæ si fuissent synceræ, vel tibi modo
 commouerent ruborem, vel frontem
 obduratam, traducerent: nihil inge-
 nuæ menti probrosius, quam illa de-
 seruisse temerè, quibus prudenter ad-
 hæserat: sed fictæ blanditiæ, Obia,
 fictæ fuerant, nec tam nobis, quam no-
 stris studebant: nupsisti Heluetiæ
 triumphatori, claro spoliis, titulis cla-
 riori; Cæsaris opibus præfectum de-
 nuo sollicitasti, non Anticum, quem de-
 spicis deiectum. Nil verius, ficto pecto-
 ri designando: agnosco coniugij nostri
 mimā; amoto scenico comptu, despuis,
 peractâ fabulâ, iam humilem, quem sub
 personâ ambueras cothurnatum. O te
 inprouidam! illud occasionis prodigen-
 tem,

tem, vnde immortalitati litare posses: nam bello, vel litteris, paratam viro famam, adæquauerit fœmina infælicioris mariti casibus non deficiens: nec aliunde altius hæc euehitur, quam dum ministrat fidelis, coniugi deturbato. Ah si vel simulans, pergeres, in officio talis, qualem te morbi nostri senserunt rudimenta! sopieras priscas, durioris ingenij, querelas: sed neque fictæ assentis pietati: extrema est vxorum perditio, infamiæ voluptas: odia in maritos gerere, detur impietati: furori, prodere. O cessa, Obia, (si patereris, adderem, iucundissima) cessa oro, quam neq; etiam sic odi, sed euito; non ad moueo, (euasi iam) timida ægrotantis vota, sed amantis feruida: audiam te pœnitentem, & lætus obeam: satis misero, totum corpus sic lacerum, quin etiam dimidio spiritu lacinetur: tandem, vt te Deo, mœque tibi restituas, viue, vale.

Fideliter retentam, inclamat tunc Amelius, epistolam recitasti; spirant singula verba piissimam Amici mei indolem, acumen graue. Credebamus, Domine, inquit Bernardus, iam Lotharin-

gam ingressis regionem , nihil nisi lætissimum superesse : restabant tamen infortunia, quæ grauissima videri possent , nisi grauior Obias præcessisset . Rebellauerat, ut nosti, in Cæsarem Provincia : nihil non armis obrutum : vribus milites , viis latrones , quos perinde habueris , excubabant . Quid iam immoror ? inuadit turma currum , nec dirissimo commota spectaculo , depoñendum iubet ægrotum : nihil gemmarum fuit , pecuniatum nihil , nihil vestium , quod simul cum quadrigâ , non tolleret insultans : nobis duobus , (nam tertius abfuerat) solito latronum beneficio , vitam , quam eripere possent , imputabant : Amico , quem propediem moriturum suspicabantur , culcitram , qua iaceret . Nos seminudi ad Dominum accedimus , qui erigens in Cœlum oculos (manus non poterat) at tu , inquit , I E S V piissime , aucto patientia & robore , auge dolores : nec , dummodo constet animus , flagella comprime : extorsit , fateor , nobis adhuc furentibus , pias lachrymas . Ergo culcitram utrique subleuantes , quam potuimus delicate , in proximum vicum , (distabat per

duo

duo ferè milliaria) portamus afflictum, quo iam tertius ille socius præcesserat, hospitium paratus: sic enim ab initio iter institueramus: ut iam tria, quatuorve milliaria à loco adeundo, distantibus, quidam expeditiori equo præmitteretur parandis rebus: ne fatigatus ab itinere Dominus sperare coetus, moras fastidiret. Socius ut nos tam alio videt habitu venientes, obriguit: at nos latronum sævitie exposita, diuinæ prouidentiæ damus abfuisse: nam modica pecuniola, (latronibus si adesset diripienda pariter,) quam forte tulerat, eiusque vestibus, & equo venditis, cum parare grabatum, tum tenuissimos, hucusque, potuimus commeatut. Fuit dolori nostro incrementum haud paruum, impietas Berichani: voluit illuc diuertere Dominus, si fortè patria iam resipiscens, aluminum de se benemeritum, redditâ hæreditate, benignius exciperet: sed homines durissimi, qui sub ipsâ beneficiorum memo-riâ, immò & vsu sospitem expulerant: nunc sub contagio morbi exhorrentes, quasi vehiculum pestis amandarunt: neque parcentes plagis, indicunt sciri,

L s

transl. ni

transmigremus celerrimi : sub eadem dieculâ, aut vicum nobis descendendum, aut vitam. Defecerant iam tunc pecuniae, soluendis mercenariis, qui grabatum consueuerant eosque, adimentumque delicatori, naufragantis etiam Domini, cibo ; si quid his impendendum. Igitur quod currui prisco, equi, nos deinceps mercenariorum vice, grabatulo eramus : gratis vicibus succedimus rotis voluendis, quandoque contentiosi pie ; conante vnoquoque, de officij voluptuosâ vilitate, apud Dominum se probare : sic non mortalis, sed beati iam alicuius, reliquias gestare videbamur. Nullum sub infausto latronum euentu, leuamen Amico gratius, quam quod is, qui abfuerat, fortè fortuna, poculum, id est priscam amicitiae tesseraim, secum comportarat, quod Dominus, cum reliquis ablatum dolebat vnicè : nec vñquam longioris viæ pressus inopia, vt etiam mendicare cogeretur, passus distrahi, hucusque detulit. Quidquid tamen laboris erat, dulcius nobis, pietatis tuæ viscera præsumpta reddiderat : quam ubi accessimus, vberiore experimur spe omni. Hæc Bernardus.

Nulla

Nullâ non medicorum diligentia
 Amici saluti, consultum, sed incassum:
 altius in medullas ater humor peruerse-
 rat, extremo languore ossa laborabant:
 desperato corpore æger patientissimus
 animæ medicamentis inhiabat vnicè.
 Parata erat ex aduerso lecti ædicula, vbi
 quotidie faciens Merizarius, bis per
 hebdomadam, Amicum sacro epulo
 recreabat: mirum quantum fragili, re-
 boris hinc accederet, putares sub ve-
 geto spiritu membra valentiora: nul-
 lus Amico sermo dulcis, nisi sub his de-
 litiis: assidua quippe cœlestium medi-
 tatione, altius in cibi tanti, abscon-
 ditam penetrarat dulcedinem. Ameli
 aliunde incarnati Verbi deditus amori-
 bus, sæpè piis colloquiis sodalem ex-
 hilarabat: hinc illis pia iuxta, & grata
 contentio, vtri mysterio suauius inhæ-
 rendum. Amico pro Eucharistia, certat
 Belisanda: pro Incarnatione Methildis
 fauet Amelio: meminerat audiisse olim
 Alcuinum his partibus annuentem:
 grati vtrinque sermones ad pietatem
 compositi, amica pugna. Rogarat sæpè
 Merizarium litem dirimeret: iste sub-
 ridens nulli partium fauere, mediisque

applaudere. Duxerat ille, Amelij suāsū
juuenem cum Monachum, inter socios,
cuius oīm dissipatiunculā, primam lu-
cem eberat princeps, radios salubrio-
res : aduocat hunc Belisanda , impensè
rogat , ventilato negotio , incumbat
operi , faxit , vt olim pœnitentiæ , sic
modo Eucharistiæ primas ferendas , pa-
teret auditoribus. Ille mediocritatem
rætendens , quamuis se diu excusarat ,
redit tandem iubenti : & stata die , con-
uocata piissimæ familiæ concione , ab
admetta ægrotantis lecto sella , præ-
misso arguimento : *An diuinus amor de-
condenda incarnatione tenerior: an verò de
Eucharistia condienda :* ingenti spiri-
tu , sed voce temperata , sic dis-
seruit.

Vbi cœlestes gazas , vniūs pomī gu-
stu Adam decoxit nepos : & victus duc-
lo infamis , dat vxorculæ manus , quæ ,
datas serpenti suas , solatur iactabunda:
ecce nouum in Cœlo duellum , diuer-
sa longè pugna : scænma prælio , diui-
num pectus destinatur : committuntur
decertarū Misericordia , & Iustitia ,
Amazones veræ , Bellonæ sacræ , vira-
gines augustæ : huic zelus fauet , fouet
illam

illam Amor, pares viribus, impares habitu: altera armata, inermis altera, illa torquens fulmina, ista balsama rotans, illa ut insanum feriat Protoplastum: hæc ut percuesso adhibuerit medicinam. Ferox Iustitia, perfidiæ reuin, sacrilege superbum, impie parricidam incusabat: excusabat lenis Misericordia, è luto fragilem, ab ingenio caducum, è nouis nuptiis blandum. Quid vltra? cedit armata inermi, miti ferociens, Iustitia Misericordiæ: tunc plausus festiui, acclamations fælices: vernant palmæ, lauri virescunt: maestè ô Amor, noua gloria: ô decora, de spoliis optimis, Misericordia!

Iam ergo decreto hominis remedio, diuinum pectus, nuper in scamma constratum, apparatur in curiam: proh, quam alius eiusdem scenæ habitus, quæ nunquam alia! mille cernuntur artes homini reformando, mille modi: unus, unico Trium suffragio, eligitur, ideo charior, quia in Amoris pompam constituturus cariori: designatur æternitas in tempus; in Vilitatem maiestas; Verbum in infantiam: Deus in hominem: desipit iam Amori præ angusto præse-

Fio,

pio, cœlum augustum : sonant gratius
 Angelicis accentibus, fistulæ pastoritiæ:
 è paterno sinu , filium rapit gremium
 parthenicum : lambit apud mortales
 lac ab ubere , qui torrente nectareo,
 potat immortales. O Amoris poten-
 tiam magis dixerim , an impotentiam?
Quid ultra potens efficeris? aut quo
 ultra rapieris ferooris impotens? crescit
 puer , virum exhibit : tunc noua cha-
 ritatis mysteria reuelat , Amori subdi-
 tus : noua piè trahendo homini inachi-
 natur incantamenta : parat escam , mis-
 cet poculum , insusurrat vtrinque ver-
 ba, & ecce pharmacum , omni Thessa-
 la herba , omni Chaldæo carmine, om-
 ni Circeo lothro , transformandis con-
 uiuis, longè præsentius, & fælicius lon-
 gè: Lupus in agnum, in ouem Leo: cor-
 uus in columbam : homo transforma-
 tur in Deum; iam legitimis indulturus,
 qui pridem adulterinis affectibus adhæ-
 serat. Hinc suauissimum problema: vn-
 de nam affectus dulcior, amor tenerior:
 an quod Deus manifestetur in carne, an
 quod lateat in epulo? ibi iacet in paleis,
 hic cibo subiacet ; ibi constrictus fa-
 sciis, hic figuris inuolutus ; ibi Verbum
 prodit,

ptodit , hic producitur Verbo. Adeste:
Incarnatio hinc visa propugnari.

Tyndaridas geminos, quibus, de oris
honore , de gestus decore , de incessus
maiestate , nihil geminum : quis puta-
ret tam diuersæ conditionis spiritu ani-
massæ ? Mater eadem, eisdem lineamen-
tis , arcano naturæ penicillo , corpora
descripserat : Pater non idem, vitæ ge-
nus concesserat longè dissitum : peren-
nabat , fingunt , Jupiter de numine, at
de homine Tyndarus deflorebat : inde
gemelloruim alter æternitati imperat
stabilis : caducus alter temporis obtem-
perat. Quid facerent, quorum in tam
aliâ sorte , tam consors amor ? Com-
municat Castori Pollux immortalita-
tem: & quantum huiuscem impendit, tan-
tum mortalitatis comparat fraternæ:
in alterna semestria deducitur æterni-
tas , tribuitur isti , dum illi derogatur:
mutuâ morte , utriusque vita redimitur:
morsque succedens , de utriusque vitâ,
inuicem compensatur : sic subit occa-
sum alter , ut alter prodeat in ortum:
sicque alterius cuna , in alterius sepul-
chro , vernat hilior. O de amore
faustam , nec funestam de morte con-
ditionem!

ditionem ! Hoc illud est; quod pro charitate fraterna symbolum debuccinat antiquitas : his templa erigit , sternit aras, victimas prosternit. Sed quam cedit facto, fictum ; fabula veritati ! Subditur morti Deus, ut homo immortali-tatis reddatur particeps: homo inquam, non frater , sed hostis , non consors vteri , sed totâ discors naturâ. Hæc est amoris palma, & ab hostili campo longe vernantior.

Quibus non , de pectoris thesauro, blandiuentis, quibus non, de Charitum penu, expromptis delitiis , columba casta, purissima sponsa, Christum excipit? Ad cantici sacri amæbæos, omnis profana Musa , ingrata filet : ibi diuina Siren cantat , incantat dulcis ; qualem iam ergo imagineris hortum, quale viridarium , vbi arbor illa crescat , quæ de sponsi typo vernet gloriabunda? age terra , dispone fæliciores glebas in Paradisum : gerinna funde , cumula diuitias , soluendo non ingrata ; quæ nunquam erga dominum , poteris esse prodiga donando : para floribus areolas , herbis odoratis planitiem : cypretis, collem: cultorem remoue rusticum,

Zephyro

Zephyro contenta colono : hic prata
pingat , & pictos flores nectare irriga-
uerit ; nubila discutiat , & productis,
adspiret ver perpetuum. Quidquid co-
mariis , venies incompta , arborem,
Christi symbolum exceptura : quæ tan-
tum pro dignitate ad aquas vitalis flu-
minis, è throno Patris fluentes, in Cæ-
lesti consurgit viridario. Sed siste ter-
ra , quæ vox sponsæ sonat ? *Sicut malus*
inter ligna syli rum , sic amicu meus. O
verè catilenam , de voce melleam, gra-
tam de numeris , sed tamen planè , de
verbis ænigmaticam ! Siluestrem, & in-
cultam stationem , venustissimæ malo,
consecras sponsa ? Silvestribus truncis,
beatum , & è cœlo transplantatum in
terram , lignum intermisces ? Hæc est
scilicet dilecti amoris mei teneriina in-
doles , ingenium suauissimum ; non
quærerit (nec si quæreret, inueniret) iam
factus homo , nisi silvestria ligna, arbo-
res , steriles , quas vtique de propriâ
vbertate fœcundauerit : ideo Verbum
de Incarnatione exinanitur , vt homo
eiusdem exinanitione repletatur : vtque
infælicia naturæ nostræ germina, fœli-
cioribus fructibus , diuinitatis amæ-
nentur

nentur confortio.

Quid vltra machinaretur Amor tenerimus? aut quid sibi homo grandius affectaret? Quid vltra ploret Adam? Cessauit iam prisca subsannatio, quam miserum protoparentem irriseras, æternum numen:nec inde diuinæ ô personæ personabitis, ironico, & amaro naso, infauustum suspendentes: si non fit Adam, sicut unus ex vobis: maius est longe, quod sicut unus ex filiis Adæ, reddatur ex vobis, quidam: imo & Adam de fœlici (si fas dicere) culpâ, artifice Amore vestro, vidit iam humanum lutum, diuinitate compactum: quod tamen integer, intra limites suos, vilius contineret. Hinc satis Incarnationis ius asseritur.

Ego ni hallucinor, sic puto statuendum. Ibi maiestas tenerior ad Amorem, ubi dissimulato augusto, ad honorem, visa periclitari vehementius. At quanto decentior habitus, venit homo, quam cibus? quanto ad dignitatem substantiam intellectuali, species sensibilis fit abiectior? an non manifestius, lædendæ maiestatis, periculum subit Eucharistia? Iam attendite. Perit inundatione Orbis,

bis , apud quem , sub carnis fluctibus , perierat iam spiritus . Seruantur humani generis reliquiae , in sobolem : inque communi naufragio arca æstuans , tandem columbae dono , coronatâ oliuis puppe , appellit portui , nouo littore , montis vertice , consistens . Segregandum à carne penitus , putares hominem , & merito : ne videlicet carnis condimentis effrænatiō , spiritum denuò redderet insulsum : & tamen tunc illi maximè caro omnis cedit in escam : Oboletur cœna sicca , & licet absque sanguine , mensa instauratur oppipara , pingue epulum . Quo ruis diuina lagitio ? abstineat à brutis homo , nec brutescat : ignoret carnes , ne carnes sapiat , quid ni fiat animalis homo , ne sciens quæ sunt spiritūs , voratis animilibus ? Imò edant , inquit Deus , edant homines bruta ; sic omnis idolatriæ occasio præscindetur : vnde enim ultrius , bestiis aras erigant , dent thura , quas viderint in escarum vilitatem , sibi inactatas ? numina , in cibos , condita , nugas reputent .

Colit perfidum genus , turpem vitulum ; in bestiolæ fusilis , profusum , vene-

nera

nerationem : à metallo semper duro,
 ab igne semper sterili, parata sibi diuina
 blandimenta , credulum , (quis non ri-
 deat ?) gratulatur. Sæuit in stultorum
 vindictam , sapiens Moyses , metallo
 grauior, quod conflauerant : igne, quem
 insufflauerant , ardenter : priusque
 quam , fornacem , impio adorantium
 sanguine , extingueret ; redactam in
 pulueres bestiam , parat in poculum.
 Nil aptius , exclamant sacri Mystæ , ne
 vltra sitiant consimilem , diuinitatem
 quæ sitibundis faucibus irroretur. Irri-
 debat Ægyptios Satyrographus, quibus
 allia , cepæ , porri semper intacti , dum
 uos trepidabant Deos, violare, ac fran-
 gere morsu, nefas ducerent : tunc pipe-
 ratâ subsannans ironiâ , fœlices vocat,
 quibus hæc nascuntur , in hortis , nu-
 mina. Agedum, inferat iam auditor:
 colendus , prædicandusque gentibus
 venit Christus: quo ergo tendis Amor?
 durum verbum barbaris paras , Deum
 esibilem : qui , de somniatâ diuinitatis
 umbrâ , cepas , porrósque tangere for-
 midabant. Quid non irrideant Roma-
 ni, dum , si minus ab horto, at è segete,
 è vinea , parandum sibi numen , audire
 visi

visi, & hæc incommoda deuoras, ô Amor? & in hæc cogis? nihil à Diuinitate alienius, quam elca, & potus: nulla ergo vberior excogitetur charitatis dignatio: quam dum bono nostro, dignitas tanta, sub escæ, sub potus delitescit vilitate. Amorem dixi, satis est; quid si diuinum? ô Amor! hac escâ, hoc potu, mundum subiugas: déque ipsâ incredulitatis conditione, heroica fidei lumina eruisti: qui dum tenerior prodis, vincis robustior.

Maius aliquid addidero, ipsa Incarnationis, quasi non satis de se præsumens, cordibus alliciendis, Eucharisticum aliquid, furari visa. Vestit Verbum in Nazareth, ipso nomine, flores spargente, quia flos campi nasciturus, prisci delicti, spinis retundendis: iam partum accelerat, neque tamen contenta priori loco, aliò cogitat. Putares edendo Dœo homini, Ierusalem metropolim (quando Nazareth displicet,) eligendam, ibi mittat vagitus puer, ubi postea gemirus: ibi ponat cunam, ubi tumulo componendus. Sed sordent etiam Sôlymitana fastigia, superbia palatia: in Bethlehem commigrat Virgo paritura. An

quia abiecta ciuitas? sed mille viliores
 pagos numeraret Prouincia : eligitur
 ergo de titulo : præponitur de signifi-
 catu, quia domus est panis, superni re-
 gis, ambitur cunabulis : nec enim è sa-
 xea duricie, è corde rupice, amores ita
 faciles extorqueret Deus, si dum homo,
 non simul agnosceretur panis : nec au-
 fa exhibere opus Incarnatio, quod non
 condiret sapor Eucharisticus. Ades no-
 bis Deipara propugnatrix; tanto suf-
 fragio quis resistat? eniteris natum, in-
 tegra : crystallina transmittis radium:
 iste, pro Patre, quem semper, iam in
 tempore Matrem amplexatur. Aspicin?
 Incipit parvus puer risu cognoscere
 Matrem, incipit: ah perseveret: cinge
 Virgo puppū vlnis, soue gremio, irro-
 vbere. Hem! ecquo defers? vbi deponis?
 an blandius præsepiū, sinu pio? certè nō
 blandius puello, sed amanti cōmodius
 expiscaturus nascitur amatores; nec sa-
 tis si condatur homo, ni cibus condia-
 tur. In bestias, deformarat culpa, ho-
 mines: præsepio, inueniendis paleis
 accurrebant: ah properent iam cœli
 panem: inuenturi, frumentuin electo-
 rum, quo reformatur amoribus scin-
 tillandis.

tillandis. Id si putat Maria, quis contra reputauerit.

Excepere Oratoris pietatem, lachrymæ auditorum: victoribus, etiam victi gratulabantur: utrisque pariter, arctius cœlestium amori inhærendum, intus affectu feruido pollicentibus.

Nescias, quid amaræ ægritudini, æquo animo latæ, cum contemplationis dulcedine, commune sit: siue quia quo morbus, cæteris laboribus, gravior corpus opprimit; eo Deus spiritui ad blanditur suauius; siue quia spiritus, penè iam carnis nexibus, exsolutus, quo liberior æternitati aduolat, eo aptior beatæ iucunditatis gustum percipit, qua paulo post fœliciter satiatus: siue tandem, quid aliud intercedat: illud tamen experientiâ discimus, ægrotantes acerbius iustos, quandoque dolorum pondere reuelato, altius euehi, quam valentes: internisque mentis gaudiis affici plenius: ut quibus salus, rarâ horâ, & breui morâ, libatiunculam pararat, his treckam quodammodo cœnami, morbus conferat. Multa iam olim inter orandum, huiuscmodi beneficia, Amicūs, Deo retulerat

rat in acceptis : nunc autem ingenti
 cumulo , maiora , & crebrius , & so-
 lidius numerabat . Dum ergo interru-
 pto somno , attentioris mentis pre-
 cibus , nuimen solicitaret , diem præ-
 uerteret : ecce tibi repente cubiculum
 insolito splendore collustratum , to-
 tam penè , cœlestis patriæ , com-
 babit charitatem : adstitit , Solis in-
 star , globus affulgens , & iste gra-
 uidus ; qui , dum aspectu fœlici , ra-
 pit languentem , fœliciori partu emit-
 tens Angelum , grata hebetudine ,
 oculos præstringit . Exhibuerat se vi-
 dendum , haud fictus Æsculapius ,
 cœlestis medicus Raphaël , eo habi-
 tu , cuius solummodo aspectu , salu-
 tem subito sperares restituendam , mor-
 bo desperato . Diceres litorum , ro-
 farumque commercium , è cœlesti
 prato , vultum temperasse : è diuini
 Agni luce , afflatos oculis honores :
 sicut ab eiusdem vellere , stolam , te-
 gendo corpori , contextam : quam ,
 altius aurea zona præcingebat . Cre-
 deret aliquis è Cœlo medicum ve-
 nientem , non allaturum inde , sed
 (heu qualia !) è terris quæsiturum me-
 dica

dicamenta? Euge, inquit, Amice, satis dolorum est: gratissimo, patientiae tuæ, holocausto, iam litasti: placatum habes numen, nunc destinatæ saluti adblanditurum: præcipit tamen, vt impensis Amelij, debitâ tibi fide, soluendis, res peragatur. Id dices homini, communis Domini nomine, & imperio, vt spiritu duplici, referat Abrahamum; nec tantum affectu pio, sed & generoso effectu, vtrunque tibi filium, quos in oculis gerit, robustus iugulet: horum sanguine vnguis, conualeces. Dixit: nec sperato responsu, assumptam formam, in aërem dissoluens se proripuit: Amico interim acerbioris nuntij vi transfixo, qui mallet, annuente Deo, dolore rumpi, aut Elephantiâ dirâ fœdari æternum, quam patefacto imperio, Amelium suum cogere in id facinoris, quo nunquam durius, aut indicente religione, aut exequente pietate, hominum aliquando tulerit conditio. O quibus tenebris, caligantes homunculos, latet Prouidentia!

Ex quo dulcissimum hospitem (ef-
fluxerat iam semestre) exceperat Ame-
lius , nullus eluxit dies , quem piâ,
eiusdem , salutatione non inchoaret:
quasi sub fausto charitatis auspicio,
cæteris deinde incubitus fælicius.
Ergo de more , tunc Amicum inui-
sens : Ecquid , inquit , charissime ?
nunquid leuior dolor , votis meis in-
dulturus , non ita crebrius somnum in-
terrumpit ? nunquid cœnulæ parcæ ,
quam , ipsa tibi conditum Belisanda ?
quietis conciliatum aliquid debuerim ,
subit aliquid , Amice , quo , aut tæ-
dentem releues spiritum , aut vitiato pa-
lato , gustum refrices ? Amicus ma-
nantibus tunc lachrymis attendere ,
& frequentius ductis suspiriis inge-
muscere : ut iam Amelius portendi
inopinum aliquid , intelligeret. Igi-
tur assidens lecto , & solito suauius
amplexans , quid noui afflito subi-
ret , prodendum instat , ne saltrem
amica fides , dubiis hærens , torque-
retur diutius. Amicus multa vultu
præsignificans , sic ad Principem ,
immotis palpebris , hospiti defixum.

Testor,

Testor, mi Ameli, numen, cuius imperio cogor in verba, præoptasse creptam mihi hanc vitam, quàm tibi graui nuntio aures, & grauiori sensu, pectus vulnerare: sed neque infixa cordi veritas, me illusum agnoscere permittit: (solicitet quamuis affectus tibi seruiens, reuelanti luci oblitrepare) neque se, sic apertè insinuant Deo, cumulatæ quantumuis tenebræ obuiauerint: arcano sublimioris dextræ impulsu, commotæ menti, nequidquam pessulos obdas, penetrabitur: quid restiterim? ergo grauissimo onere te premit Deus; pulsanda tibi, seuero nimis ictu, fortitudo: sed pace tuâ dixerim, longè me leuius quateris, reuerberante iam fulmine, quod directè contortum, subiui plenius. Curandis laceris hisce membris, studet cœlum, interim menti miseræ lacerandæ: truncandas igitur rosas, iubeat, heu duro pollice in spinarum virorem? & in lupi incolumentem, maestandos agnos? vtque cadant stellæ lucidissimæ, ne lucerna extinguatur

viliuscula ? iubet scilicet (iam penè
 extrema lingua, absque inuolucris, ver-
 ba immittebat ; cùm inde doloris æstu
 euibrata , retorquentur in pectus , vn-
 de pronuntiaturis labiis impelluntur
 denuo : Amelio interim nondum per-
 cutientis fulminis , timore iam atto-
 nito) iubet , inquam , vt sanguine
 tuo paretur mihi medicamen : quo-
 niam vero , virilem illum , quem ve-
 nis refoues , generosè mihi præno-
 scit , non solum effundendum , sed
 erupturum vltro : eo præmisso , hunc
 tantummodo exigit teneriorem , quo
 suauius spiras in filiolis : vt nunc bis,
 in vtroque iuguleris : ac superstes de-
 inde , vicariâ cultri memoriâ , sæpis-
 simè .

Hæsit tantis per Amelius , (nō tam
 Patri , quam Catholico sibi consultu-
 rus ,) dum corde tacito , inspiraturi
 Dei prouocat auxilium . Vbi autem ,
 lucis penitioris illapsu , animam com-
 ponente , nec vana Amici verba ; &
 æterni numinis , ratum apertissimè
 placitum declarante , paululum se re-
 cuperat ; oratâ turbatæ serenitatis ve-
 niâ :

niâ: Amicum bono animo esse iubet, maiora se debere testatus; non seuero, sed benignissimo cœlestium consilio deputabat, quod hinc oberatæ fidei onus releuaret ex parte: tunc ingens animi, humano præstantioris, opus peracturus, relicto sodali, paruulorum cubiculum ingreditur: ablegatisque famulis, (etsi mirantibus nouitatem, nil tamen tale è facie, ad hilaritatem inuito dolore, compositâ, præsumentibus,) fores obserat: indéque iam solus relictus, futurâ natorum morte, pallescit ipse: & constans licet animo, membris trepidans, lectulo, cunæ dixerim grandiori, velum amouet. Iacebant bini, grato sopore desides, & acto negligentius anhelitu; iteratisque suspiriis; summotis, alter, stragulis, ad pectus; brachiolo, alter, emisso, membra laxabant. Semper venusti Patri, tunc certè, & somno, & æstiuâ conditione anni, succrescente rubore, visi venustiores. Oris honos præproperus, præcox maiestas, quantumuis dormientibus, non consopita, se etiam apud extraneos, commen-

darent : nosceres in tugurio licer,
sub vilioribus pannis , infantes re-
gios.

Ergo ingenti spei , inquit submur-
murans , & puppis istis sufficiam iu-
gulandis ? an non satis , si cadant
alienâ dextrâ , victimæ nostræ , numen
suauissimum ? non satis , si iubente
linguâ , nec exequente manu , neque
coactis in tantum oculis , operator
accedam ? indulserisne afflito cordi ,
fundenda porrigam , nec ipse met , vi-
scera , mihi fudero , arctiora ? Sed ô
me mollem ! Hæc Amico charissimo
præstanta fides ? hæccine , chariori
numini , deuotio ? Immolarent prisci
dæmoniis , natos suos animosiùs , non
erubescam ? adstabat mater , impio
facro rigida , & absque gemitu , ne si
quid indulgeret affectui , iacturam filij
faceret , & honoris : blanditiis , &
osculo comprimens vagientem , ne
victima flebilis , non litaret : & ego
trepidem , & vir , & in obsequium
pietatis ? audiam parricida pius ,
carnifex religiosus ; natorum sanguine ,
abluendas scio manus , non in-
quinandas .

quonandas : Agni sunt , cœlesti ob' innocentiam similes , cuius purpurâ beatorum candieant stolæ : & quid ni lactei , purgetis mihi noxas , quos lacentes adhuc immolo charitati ? Interim soluto in lachrymas corde , carentium attactu feruido , pueri excitantur , (deerat id tormento ,) pulchritudinisque partem meliorem , quam somnus , quasi parentem miserans , celarat tandiu , ridentibus ocellis , afflito nudant . Ah claudite puppi , palpebras , obvielate pupillas : ne ad hos radios , parentis fides trepida conuiueat : sed illi contra , grato risu agnitum patrem , alter , expeditâ lingua , comptior : alter , blæsâ adhuc garrulitate , gravior , salutantes , contentiosi mutuo , potentis brachiolis , inuitant in amplexum . O quot lem-niscis , Patri mactare palmam , sagitis puelli ? Eia age Ameli , & qua cœpisti fortis , perge constans : tibi , tibi , non filiis , paratur de martyrio corona : ipsemet gladius , cuius aspectu scinderis , obiectus paruulis , Iudus ambibitur : dolorem non præsentient ,

quem ignorant : neque damno affliduntur , timoris incapaces : sensus expertes penè , tantummodo augendo tibi dolori , sentire visi : victimæ ignorantes iuxta, & innocentes, aliunde penitissimæ , Sacerdotein te pariter reddiderint , & sacrificium , indidem igitur , tibi pœna prouenerit , & victoria.

Tandem nouo cœlestis auræ afflatus , Pater animosior , vtrumque iugulat , parata argentea lance sanguinem excipiens ; adnotoque velo occisis , (quos sui adhuc pulcherrimas umbras dices ,) & foribus nobiliori clave obseratis , ne quis introiret : in Amici cubiculum , secretiori aditu , se propripit : Obstupe iste charitatis prodigium : ac inter palpitantis cordis affectus , venerari potius , quam experiri vellet medicamentum : sacrum Deo libamen , aris , ad cultum magis , quām membris laceris , ad remedium , prædicat applicandum . Verum Amelius , gesto tanto hilarior , nouo pietatis sacramento , vt pretiosam materiam , sic & verborum formam adhibet

bet necessariam, intérque vngendum:
Domine, inquit, I e s v, qui in ho-
spitis charioris gratiam, charissimos
voluisti natos occidi: proba obsecro,
placuisse tibi, redditâ sanitate, per-
actum sacrificium. Mirum dictu! vix
corpus vñxerat, cum neque leui reli-
cto ulcerum vestigio, Amicus prisco
vigorí specieique decoræ restituitur.
Sic Aquila iuuentuti renouatur post
balnea: amotóque veterum squallore
plumaruin, nubes superat, solem ex-
minat. Sic serpens rupis angustiis,
exuuias fœdas extricans, veterñóque
deposito, vario squamarum colore,
exultat denuò. Additur miraculum
miraculo: totius quippè vrbis æs cam-
panum, sponte motum, quasi meliori
spiritu animatum, rem prædicat. In-
clamat suos Amelius, occurruunt illi,
nouóque stupore hærent, prisco de-
nuò errore delusi, an Dominus is
esset, qui iacenti vestem postulet, an
qui iacebat vesciendus? Ecce induito
iam Amico, gravior Belisandæ error,
anxio plausu dubia, cui vel coniugis
facilitate, vel comitate hospitis, ad-
blandi

blandiretur: eò nullum discrimen, eò eximia similitudo adigit intuentes. Tunc vrbane festiuæ, aduocate, inquit, pusiones: cogentur illi, patrem naturæ ductu discernere, quem nobis nulla industria distinxerit. Nunquam se ipso fortior Amelius: define, inquit, domina, quiescant paruuli, habes me Amelium tuum: qui adest Amicus est idem, sed iam alius: restitutus nobis scilicet nūminis clementiâ, vt his fruatur, quæ eiusdem fides, tot probata periculis, nobis peperit: illa iam gratulari Amico, nondum conscientia, quanti sibi constaret salus inopina. Amicus, præsenti gaudio, curis aperiendi tandem euentus, obstrepebat, carissimo emptum remedium, tacite suspirans.

Interea sacra palatij ædes festiuè composita, hilarem Aulæ excipit familiam, & in gratiarum actionem, mirâ poli frequentiâ, operatus Sacerdos, admouetur altari. Amelius, quasi alio distentus, non prodierat, vt detentis diu lachrymis indulgeret; vtque

utque maternis oculis subtraherentur corpuscula, furtim sepelienda, Methildi aduocatâ, redit in cubiculum. Adhuc miraculorum prodiga, diuina beneficentia non cessarat: inuenit Pater, obstupente iam consciâ Methildi, infantes vegetos, colludentes, graviorique vitæ restitutos: & quasi egregio facinori applauderent, colla ostentantes integra; sed purpureo tanquam filo, (nouo cicatricis genere,) insignita. Ille admotum vtrumque pectori, dulcissimo fletu irrigat, & actis tanto numini gratiis, turbato plausu vociferans comineat in ædem. Stupet redeuntis iam pompa multitudo inconditè properantem, & stupet magis audito rerum euentu tanto, quem & subita ægrotantis salus, & paruulorum purpureum insigne, vendicabat apertè. Speraret quisquam, è tam amaris radicibus, sic dulces fructus? tragicam scenam hoc exitu amœnandam? Igitur & Amico, & pusionibus, quasi noui natalis diei, festa constituuntur: indicitur pompa celebrior, hilaris gratulatio: adorante

Narbonâ,

Narbonâ, admirantéque deinde orbe, diuinam prouidentiam, insuetis euentibus se prodentem: iam, nutanti etiam proteruorum iudicio, approbandam.

Cumulauit insuper eiusdem prouidentiæ commendationem, diuersi generis nobile actuariū, euentus haud vulgaris: pari populi plausu, sed mixto horrore exceptus. Ingemuerat Obias, coniuge euadente, eo funestius, quo apud Amelium sic haberit audiebat, ut non vanâ spe, restituendus saluti, præsumi posset. Id si foret, vindice bello exigendas à se pœnas, hinc formidabat, inde desperatis secundis nuptiis, torquebatur: dispendio insuper famæ, maritum fugans, admissum sibi hæredem, sustinebat iam grauem. Ardens iuuenis, nunc ludis ad spectaculum, nunc publicis monumentis, ad splendorein, populi sibi animum deuinciens, multâ pollicitatione Proceribus corruptis, penè despoticè cuncta moderatus, insultabat misellæ, vix iam, nisi precariò, dominanti. Sed his omnibus leuiter

leuiter quodammodo ; grauius enim longè conscientiæ stimulis agitata Obias , visa quandoque furere : in somniis territa , amouerentur sibi spectra inclamabat , laruæ horribiles , ut iam Aula , dare perfidam pœnas , intelligeret. Fit sibi non raro carni- fex ipsa culpa : Nec longum tempus intererat , cum succrescente indies malo , despondens rebus suis , suc- currere infaustæ vitæ destinat , morte infaustiori. Vrgebat dæmon vehe- mentius , commotam mentem : & effræni , iam admouens calcaria , nec parando veneno moras suggestit : fer- rum , laqueum proponit , aut præci- pitum : hoc eligitur. Adit celeri motu fenestram arcis , & quam visu aliquando horreret sana , saltu præci- piti , tunc petit profunditatem. Iacet Obias persida , membris laceris , fu- tura præda canibus , ni Landulphus monitus , tacita cordis gaudia , pie- tatis officio obuelans , sepulchro ma- iorum traderet , nihil tartareis pœnis profuturo. Soluuntur iusta infaustæ ,

N quasi

quasi melancholiæ iudicium præuenientis potius, quam desperationis proteruæ, œstro fuisset concitata; videlicet inlusrâ iudicis seueritati, mortalium ambitione: qui tamen pœnam descripserat, sparsi sanguinis litteris rubricatis. Amicus, acceptâ epistolâ miseræ consortis exitum deplorans, incompto capillitio, pullâ veste, non tam animæ, quam opinioni ministrans, obuelatâ infamiâ, deferuiuit. Anno transacto, paratis, Amelij^j sui, copiis non ingentibus Berichanum antiquam patriam repetit, vnde electus impiè exultauerat, ibi facile recuperatis hæreditariis agris, & Castellis: noxios conciues, gratiæ pius, se fœlix, possessionibus restituit.

Agnouerat Amelius tot casuum vicissitudine, altius aliquid à benigniori numine commendari, vocari se strictius: Religiosæ obseruantiaz addici cupidum, inde reuocabat Merizarius, quod glorioſo gestorum exemplo, admotus gubernaculis, mirantibus

tibus populis , redderetur vtilior? Monachum Principem , vt plurimum , miraculo potius gentibus venire , quam imitationi : commendant homines magis illustre facinus , quam sequuntur : nec sibi putant semoti Principis in exemplum ; sed sociis religiosis , in æmulationem piam : cum è contra gubernantis , & apud se viuentis virtutibus , excitentur in idem. Itaque æquissimo aliunde Principi , nisi sub manifestiori diuinæ voluntatis insinuatione , non ita opportunum Monachatum , credebat Merizarium. Adde impulsu tacito Reip , tractandis habenis , amotâ ambitione , à numine vocari , Ame- lium non latere. Ergo quid com- modius , sub publico imperandi in- stituto , veniret optanti , diu versat animo ; illudque tandem sedet , vt sub regalis vitæ iure , priuatam re- ligiosæ vitæ , conditionem institue- ret. Hæredibus duobus iam sulta domo , quos & partu editos , & red- ditos miraculo , tanquam quatuor

computabat : Belisanda castissime in idem conspirante , discreuit torum : retentoque matrimonij vinculo , vsu denegato , arduum vidui confortij , aggressus iter , breui perfectionis culmen superauit. Nihil tunc his Principibus Orbis modestius ; nihil religiosius mirabatur : quidquid maritalibus amplexibus interdictum , dum cœlestium impenditur vnitati , Angelicum aliquid spirabat in terris : propterea mirabilius , quia rarius.

Decennium ferè intererat , cum Desiderius Longobardorum Rex , eâ tempestate celebris , bellicâ gloriâ , & opum affluentia , fines Ecclesiasticos ausu sacrilego inuadit , Romam iam sibi destinans triumphandam. Vocat in auxilium , Adrianus tunc Pontifex , Carolum Ecclesiæ piissimum propugnatorem : nec longæ moræ . Coguntur vndique copiæ , paratur in aciem Cæsar , aduocato egregio pari , Amico scilicet & Amelio : quibus post se , rerum omnium summam , committi voluit. Factâ expeditione,

ditione , hostis inuaditur : consertis
 inuicem manibus , ad Italicos fines,
 qua parte planities latissima se por-
 rigit : olim pulchræ syluæ , nunc de-
 tot prostratis cadaueribus , mortalis
 adhuc titulo insignita. Stetit victoria
 Carolo, sed cardo : utriusque sodalis san-
 guine comparata. Litauit extremo ha-
 bitu numini, par amicissimum : nec po-
 terat fælicius , quam immunitati ,
 impenso Ecclesiasticæ : sæculis lon-
 gioribus dignam vitam , asseruit sibi
 æternitas , cœlo digniorem. Defe-
 renda , victrici , post mortem , pom-
 pâ , corpora Mediolanum , curauit
 Carolus : erectisque seorsim obeli-
 scis , Amicum in Templo urbis prin-
 cipe deponens : Amelium suum in
 æde Diui Eusebij , tunc celeberrima ,
 sepeliendum præcipit. Sed frustrâ se-
 parabantur corpora , quorum spiri-
 tus pariter quiescebant : sequenti enim
 die Amelij corpus , ab Eusebij , in
 templum princeps , ambitioso Ange-
 lorum ministerio delatum , Amici
 tumulo pariter collocatur. Gaius

est errore suo Carolus , quo fœcunda mirorum , Dei pietas , commendetur vberius. Igitur dilatato sepulcho , solidâ marinorum pretiositate , conspicuo , vterque componitur : deinde impositas iustæ mensuræ statuas argenteas , tantumque , insculpto nomine , discernendas , Emblematis vndique cincto , animat hoc Epitaphio.

Quos species , mors , vita tulit , discrime nullo ,

*Dinero tumulo tradere velle ,
nefas.*

*Membras simul grato , iaceant mandata ,
sopori ,*

*Dum simul & mentes , sydera cel-
sa tenent.*

*Faustius binc forsan , Gallorum ducere
naues ,*

*Incipient , Cœlo si noua signa
dabunt.*

*Cedite Tyndarides , alicernâ morte pa-
rati ,*

*Alter , in alterius , condere luce ,
iubar.*

En

En geminis lux una manet, qua semper utrique,

Nec diuisa micat, nec reditura perit.

F I N I S.



151

151

151

20
151

2007